Duplicate from the Royal Library
[illegible]

87

[illegible] Fyly - Analecta [illegible] - ff. 95 - 96.

ICONES,

id eſt

VERAE IMAGINES

VIRORVM DOCTRINA SIMVL ET PIETATE ILLVSTRIVM, QVORVM PRÆcipuè miniſterio partim bonarum literarum ſtudia ſunt reſtituta, partim vera Religio in variis orbis Chriſtiani regionibus, noſtra patrúmque memoria fuit inſtaurata: additis eorundem vitæ & operæ deſcriptionibus, quibus adiectæ ſunt nonnullæ picturæ quas EMBLEMATA vocant.

Theodoro Beza Auctore.



GENEVÆ,

APVD IOANNEM LAONIVM.

M. D. LXXX.

IACOBVS · 6 · DEI · GRA · REX · SCOTOR ·

IN VTRVNQVE
PARATVS.



SERENISSIMO PER DEI GRATIAM SCOTIÆ REGI, IACOBO EIVS NOMINIS SEXTO, THEODORVS BEZA GRATIAM AC PACEM A DOMINO.



IRTVTEM laudari boni omnes libentissimè, nemo, nisi malus audiit inuitus. Itaque sicut Regiæ tuæ Maiestati bonisque omnibus non iniucundum, ita solis malis displiciturum hunc meum laborem spero, quo præcipuæ virtutis, id est veræ pietatis, non amicos modò & fautores, sed etiam conciliatores, si non pro rei & personarũ dignitate, (quis enim hoc præstiterit?) at certè pro viribus laudare constitui. Quisquis autem ex aduerso, non quidem institutum hoc meum reprehenderit, sed impietatis potius damnandos existimauerit, quos ego ceu pietatis magistros celebro, errore sanè suo fruitor, nisi ampliari iudicii hac de re diem sustinere malit. Sed erunt fortassis ex nostris nonnulli, qui præteritas imagines vel eam ob causam mallent, ne aduersariis, quos idololatriæ accusamus, calumniandi occasio præbeatur. Istis verò illud ipsum respondeo, quod minimè ignorant, neque picturam videlicet, neque cælaturam, cæterásve artes eiusmodi, per se reprehendi, quarum

multiplicem esse utilitatem constet. Certè si uiua vox audientes magnopere afficit, nemo meritò inficietur, quum non nisi præsentes audiamus, plurimùm etiam ipsorum hominum cõspectu nos commoueri, adeò quidem vt magnos viros etiam tacentes reuereamur. Quid igitur vetat quominus sicut scripturæ beneficio doctos & pios homines, quãuis mortuos, quasi nobiscũ adhuc loquentes audimus, ita quoque ex veris illorũ imaginibus quos studiosè viuos obseruauimus, hoc cõsequamur vt eos ipsos adhuc intueri & amplecti videamur? Quod si qui vel in colendis viuis modũ non tenẽt, vel mortuorũ imagines temerè & contra Dei mandatum in sacris locis collocatas tandem etiam superstitiosè, atque adeò impiè venerantur, atque adeò suas mutas imagines libros esse idiotarum nugantur, quid hoc ad nos, qui nedum vt tale quicquam admittamus, Christianorum quoque templa diligenter ab his sordibus repurgamus? Me quidem certè testari possum tantorum hominum non modò libros legentem, sed etiam expressos vultus intuentem, haud multò aliter affici, & ad sanctas cogitationes impelli, quàm si coram adhuc ipsos docentes, admonentes, increpantes his oculis aspicerem. Hanc igitur causam habui cur istas (non omnium quidem, quod iusta fortasse reprehensione non careret, sed præstantissimorum, & quidem mortuorum dũtaxat, ne viuis adulatus videar) imagines partim iam nactus, partim adhuc nancisci sperans, vacuo nondum repertis spatio relicto, alteras, addita breui singulorum vitæ ac studiorum descriptione, edendas putarem. In his autem digerendis hunc sum ordinem sequutus, vt Gentium & Ecclesiarum, in quibus floruerũt, seruata distin-

ctione,


ctione, ipsis & doctis eorum παιδαγωγοῖς, vtpote quorum ministerio nostra patrúmque memoria Ecclesiæ bonæque literæ sunt instauratæ, primum hunc locum tribuerim: altero Regibus, Principibus, & ciuitatum Magistratibus, Ecclesiæ nutritiis, militaribus denique fortißimis viris seruato, qui pro tuenda vera religione sanguinem etiam profuderunt. Horum autem recensionem quum differre me plurimæ grauißimæ causæ cogant, vehementer interim eos rogo quibus hic meus labor non displicebit, vt mißis saltem eorum veris Iconibus, quos hanc laudem mereri existimauerint, adiuuare meum hunc conatum non grauentur. Quod autem iis quos nunc commemoro, nonnullos in ipso præsertim Galliæ vestibulo adiunxi, quorum nonnulli pietatem ipsam, non tamen certa (vt arbitror) improbitate, sed ignorantia oppugnarunt, alii religionem cum populo colere quàm suæ conscientiæ rationem habere quantam oportuit maluerunt, nullus vt spero indignabitur, qui mei cõsilii causã ex ipsis eorũ elogiis cognouerit. Subiunxi præterea EMBLEMATA *quadraginta & quatuor, quæ, quòd graues & pias sentẽtias complectantur, eruditis lectoribus non ingrata fore mihi persuasi. Sunt autẽ, opinor, sic appellata, quod imagines eiusmodi sententiosæ opere tessellato parietibus aut vasis inseri consueuerint. Cæterùm cur Regiæ tuæ Maiestati meum hunc qualemcunque laborem audeam consecrare, iustißimam, ni fallor, causam habui. Quùm enim te cõstet ab ipsa pueritia, diuino quodam impulsu (adscitis etiã eruditißimis illarũ doctoribus, D. Georgio Buchanano, quem mihi liceat omnis liberalioris eruditionis ac præsertim poëtices parentem appellare, & D. Petro*


Iunio, eximia quoque doctrina prædito) linguarum & bonarum artium studia tanta mentis contentione tantóque successu amplexum, vt, fauente Deo, veterum illorum, tum rebus fortiter gestis tum etiam eruditione clarissimorũ Regum memoriam nostro seculo renouaturus videare: atque adeò illos propémodum omnes in eo superaturus, quòd te veræ pietatis, quæ illis plerisque defuit, studiosissimum re ipsa in primis ostendas: cui tandem existimauerim gratiorem fore virorum & doctrina & pietate præstantissimorum commendationem? Ad hæc & illud accedit quòd quum Christi regnum quanto maximo animi ardore fieri potest apud Scotos tuos promoueas, vsque adeò vt ad extremas vsque terras huius tuæ singularis pietatis fama permanarit, sit autem huius Christi regni pars etiam aliqua Geneuensis hæc Ecclesia, putaui mei esse officii memetipsum tuis populis aggregare, & gratam communis tanti beneficii memoriã Regiæ tuæ Maiestati qua possem ratione testificari. Præterea (quod citra inuidiam dictũ sit) quum, per Dei gratiam, hæc Ecclesia partem sibi vendicet non pœnitendam beneficii in Scotiæ regnum, maximorum virorũ D. Ioannis Cnoxi Scoti & D. Christophori Gudmanni Angli ministerio collati: & peculiari quodam communis non modò confessionis, verum etiam Ecclesiasticæ εὐταξίας vinculo videri possint Ecclesiæ Scoticæ cum Geneuensi cõiunctæ: sic quoque mutuam hanc in Christo connexionem testari, ac veluti sancire, consilio minimè, vt arbitror, reprehẽdendo studui. Quid plura? quum ad Gallicæ vsque gentis ministros Geneuæ non ita pridem, Religionis causa, exulantes, Scoticarum

rum Ecclesiarum beneficentia redundarit, & hanc scholam non pauci Scoti multis modis exornarint, veluti Henricus ille Scrimgerus, eruditissimus apud nos iuris ciuilis professor, intempestiua nobis morte sublatus: Andreas Melvinus nostri non ita pridem, nũc autẽ vestri gymnasii singulare ornamentum: insignis denique generis adolescens Georgius Keytus ab illustri patre Scotici regni Marescallo, ad nos vsque studiorũ causa missus: ac nunc quoque regiæ familiæ iuuenem Dominum Franciscum Stuardum, Illustrem Comitem à Botuel, singulare nobis in tenera ætate maximarũ virtutum exemplum præbentem cernamus, quînam istam non referendorũ quidem, sed agnoscendorum beneficiorum occasionem prætermisissem? Accipe igitur, Serenissime Rex, munus hoc meũ, perexiguũ quidẽ illud, si quidquid in eo meum est spectetur, sed pulcherrimorum exemplorum plenum, quibus vtinam, frustra repugnante Satana, Scoticum tuum regnum magis ac magis florere atque redundare conspicias. Faxit, inquam, Rex ille Regum, vt quæ Regiæ tuæ Maiestati maximarum virtutum semina tam liberaliter infudit, felicissimè tecum adolescant, & quam de te expectationem in orbe toto Christiano concitasti, non modò sustineas, sed etiam longè latéque superes. Geneuæ Cal. Martii, Anno vltimi temporis. CIↃ. IↃ. LXXX.



ANTESIGNANI PATRVM MEMORIA INSTAVRANDI CHRISTIANISMI MARTYRES, EX DIVERSISSIMIS ORBIS TERRARVM REGIONIBVS, ANGLIA, BOHEMIA, ITALIA, DIVINITVS SELECTI.


IOANNES
WICLEFVS
ANGLVS, IN A-
CADEMIA OXONI-
ENSI THEOLO-
GIÆ PRO-
FESSOR.
I. WICLEF.



IOANNES WICLEFVS.

SIT hoc tuum in primis verum & immortale decus, Anglia, quãuis à te postea cõmaculatum, quòd Ioãnem Wiclefum edideris, primum ausum, post multa secula, Romanæ meretrici securè inebriatis Europæ regibus illudenti, bellũ palam indicere: ídque tanto successu, vt iam tum vulnus gladio verbi diuini abs te vibrato inflictum acceperit, quod, vt ad tempus sanatum videri potuerit, semper tamẽ recruduit, ac tandem lethale, Dei beneficio, euasit. Supererat tanto athletæ martyrii corona, quam viuo frustra expetitam quadragesimo demum post mortem anno crematis ossibus tuis es adeptus, hoc vel vno scelere Antichristo sibi ipsi quidem perpetuam crudelitatis notam inurente, tibi vero tanto maius decus conciliante.

Floruit anno Domini, CIↃ. CCC. LXXII.
Obiit post varia certamina CIↃ. CCC. LXXXVII.
Cremata sunt eius ossa Oxoniæ, anno Domini CIↃ. CCCC. X.

IOANNES HVSSVS.






IOANNES HVSSVS BOHEMVS, IN ACADEMIA PRAGENSI THEOLOGVS.

O Vigilis anſeris hoc (enim patria Bohemorum lingua cognomẽtum illud ſonat) minimè obſtrepe rum, ſed ſuauiſſimum, ac planè tempeſtiuum clágorem! quo cœlitus potius quàm ex terra ſonante, veternoſi tot ſeculis Chriſtiani ſunt excitati, non vt, anſerum Capitolinorum exemplo, Tarpeïa rupes aduerſus inuaſores ſeruaretur, ſed contra vt immanis prædo ex illa eadem arce, partim aſtu, partim vi occupata, in Chriſtianum orbem diu graſſatus, deturbaretur. Vt autem illum idem iſte perfidè correptum vſtularit, quid aliud tamen effecit, quàm quòd tum ſibi ipſi, tum aliis ſuis mancipiis indelebilem perfidiæ notam inuſſit, tu vero, Huſſe, quaſi ex cauea in cœlum emiſſus ingrata terra relicta euolaſti? Quin etiam (dictu mirabile) tot illos qui & iam tum ſunt auditi, & nunc adhuc audiuntur, olores tibi ſuccinentes, cur nõ meritò velut ex fœcundiſſimis tuis phœnicis potius, quàm anſeris, cineribus (quod etiam diceris iam iam moriturus prædixiſſe) enatos dixerimus?

Crematus eſt viuus, violata publica fide Conſtantiæ ex pſeudo-ſynodi decreto, anno Domini CIↃ. CCCC. XV. VI Iulij.


HIERONYMVS
BOHEMVS
PRAGENSIS.



HIERONYMVS BOHEMVS PRAGENSIS.

OPORTEBAT ſcilicet coniuratos diuinæ veritatis hoſtes, duobus minimũ teſtibus conuinci, vt nihil haberent quod obſtinatiſſimæ improbitati, ne corã hominibus quidem, poſſent prætexere: & par erat fortes & conſtantes in eodem certamine ſocios, pari quoque vel potius eodem triumpho nobilitari. Sequutus es igitur, Hieronyme, Ioannem tuum, à quo ne morte quidem diutius diuidi ſuſtinuiſti. Qui verò fueris & qualem te ipſum in extremo præſertim certamine, in quo poſita eſt victoria, præſtiteris, æquum eſt vt ex teſte minimè omnium fidei ſuſpectæ audiamus, ex quo iudices iniquiſſimi fuiſſe qui te damnarunt coarguantur.

EX EPISTOLA POGII FLORENTINI ad Leonardum Aretinum, Conſtantiæ ſcripta, eadem die qua Hieronymus Pragenſis crematus eſt, nempe III Calendas Iunias, CIↃ. CCCC. XVI. altero poſt Ioannem Huſſum anno.

CVM multa in hunc Hieronymũ congeſta eſſent quibus arguebatur hæreſis, atque ea teſtibus firmata: tãdem placuit vt publicè ſingulis, quæ ſibi obiicie bantur reſponderet. Ita in concionem deductus, quum iuberetur ad illa reſpõdere, diutius recuſauit, aſſerens ſe debere prius cauſam ſuã agere, quàm reſpõdere maledictis aduerſariorum. Ita ſe priùs pro ſe dicentem audiendum eſſe aſſeuerabat, tandem ad æmulorum ſuorum probra in ſe congeſta deueniendum.

SED quũ hæc cõditio ſibi denegaretur, tũ ſtans in medio concionis: quænam eſt hæc iniquitas, inquit, vt quũ CCC. XL diebus, quibus in duriſſimis carceribus fui

in ſordibus, in ſqualore, in ſtercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, aduerſarios atque obtrectatores meos ſemper audieritis, me vnam horam audire nolitis? hinc eſt, vt dum illis ſingulorum aures patuerunt, atque in tam longo tempore vobis perſuaſerunt me hæreticum, hoſtem fidei, Eccleſiaſticorum perſecutorem, mihi autem me defendendi nulla datur facultas, vos me prius improbum hominem iudicaueritis in mentibus veſtris, quàm qui forē potueritis cōgnoſcere. Atqui, inquit, homines non dii eſtis, non perpetui, ſed mortales: labi, errare, falli, decipi, ſeduci poteſtis. Hîc mūdi lumina, hîc orbis terrarum ſapientiores eſſe dicuntur: maxime vos decet elaborare nequid temerè, nequid inconſultè, néue quid præter iuſtitiam faciatis. Equidem ego homuncio ſum, cuius de capite agitur: nec pro me hæc loquor qui mortalis exiſto: verùm indignum mihi videtur ſapiētia, aliquid tot viros aduerſum me ſtatuere præter æquitatem, non tam re, quā exemplo nociturum.

Hæc & multa præterea ornatè diſſerebat, ſtrepitu & murmure plurimorum ſermonem eius interpellante. Tandem decretum eſt, vt primùm ad errores, qui in eum conferebantur, reſponderet: deinde loquendi quæ vellet, daretur facultas. Legebantur igitur ex pulpito ſingula capita accuſationis, deinde teſtimoniis cōfirmabantur: tum rogabatur an quid vellet obiicere. Incredibile dictu, quàm callidè reſponderet, quibus ſe tueretur argumentis. Nihil vnquam protulit indignum bono viro, vt ſi id in fide ſentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum nedum mortis cauſa inueniri iuſta poſſet, ſed ne quidem leuiſſimæ offenſionis. Omnia eſſe falſa dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis ſuis.

Inter cætera quum recitaretur illum ſedis Apoſtolicæ detractorem, oppugnatorem Romani Pontificis, Cardinalium hoſtem, perſecutorem Prælatorum & Cleri, Chriſtianæ religionis inimicum: tum ſurgens

quære-

quærebunda voce, & manibus porrectis: quò nunc me vertam, inquit, patres cõscripti? quorum auxiliũ implorẽ? quos deprecer? quos obtester? Vosne? At isti persecutores mei vestras mentes à mea salute abalienauerunt quum vniuersorũ hostem me esse dixerũt, eorum præcipuè qui me sunt iudicaturi. nẽpe arbitrati sunt, si etiá quæ in me finxerunt, leuia viderentur, tamen vos vestris sententiis oppressuros communem omniũ hostem atque oppugnatorem, qualem me isti falsissimè mentiti sunt. Ita si eorum verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum sit. Multos salibus perstrinxit, multos lædoriis, multos persępe in re mœsta ridere coegit, iocando in illorum obiurgationes.

Qvvm rogaretur quid sentiret de Sacramẽto, inquit antea panem, postea verum Christi corpus, & reliqua secundùm fidem. Tum quidam, aiunt te dixisse post consecrationem remanere panem. Tum ille: apud pistorem, inquit, panis remanet. Cuidam ex ordine prædicatorum acriùs inuehẽti: Tace, inquit, hypocrita. Alij per conscientiam suam contra se iuranti, hæc, inquit, tutissima est ad fallendũ via. Quendam pręcipuum aduersarium, nunquam nisi canem aut asinum appellauit. Quum verò propter criminũ multitudinem ac pondus, res eo die transigi nequiret, in diem tertium est dilata. Qua die cum singulorum criminum argumenta recitata essent, ac subinde plurimis testibus adfirmarentur, tũ surgens ille: Quoniam, inquit, aduersarios meos tam diligenter audistis, conueniens est vt me quoque dicentem æquis animis audiatis. Data tandem est, licet multis perstrepentibus, ei facultas dicendi.

Hic primùm à Deo exorsus, deprecatus est eam sibi mentem dari, eam dicendi facultatem, quæ in commodum ac salutem animæ suæ verteretur. Deinde, scio, inquit, R. D. plures fuisse excellẽtissimos viros, indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, ini-

quiſſimis iudiciis condemnatos. Incipiens autē à Socrate, quē iniuſtè à ſuis cōdemnatū retulit, nec, quum poſſet, euadere voluiſſe, vt duorum quę aſperrima hominibus viderentur, metū demeret, carceris ſcilicet & mortis. Tum Platonis captiuitatē, Anaxagoræ fugam, ac Zenonis tormenta: multo rumpræterea gentilium iniquas damnationes, Rupilii exiliū, Boetii ſimul & aliorū, quos ipſe Boetius refert, indignam mortem commemorauit.

DEINDE ad Hebræorum exempla tranſiit. Et primum Moſen illum liberatorem populi & legumlatorem ſæpiſſimè à ſuis calumniatum eſſe dixit, tanquam ſeductor eſſet aut contemptor populi. Ioſeph inſuper à fratribus venditum ob inuidiam, poſt, ob ſtupri ſuſpicionem, in vincula coniectum recenſuit. Præter hos Eſaiam, Danielem, & fermè Prophetas omnes tanquam contemptores Dei, tanquā ſeditioſos, iniquis circumuentos ſentētiis. Hinc etiam Suſannæ iudiciū ſubiecit: multorum præterea, qui quum viri ſanctiſſimi extitiſſent, iniuſtis tamen ſententiis perierūt. Poſtea ad Ioannem Baptiſtam, deinde ad Saluatorem noſtrum deſcendens, falſis teſtimoniis condemnatos inquit omnibus conſtare: deinde Stephanum à ſacerdotum collegio interfectum, Apoſtolos autem omnes mortis damnatos, non tanquam bonos, ſed vt ſeditioſos populorum concitatores, contemptores deorum, & malorum operum effectores. Hæc diſertè & magna cum omnium attentione diſſeruit.

ATQVE quum omne pondus cauſæ in teſtibus ſitum eſſet, multis rationibus docuit nullam his teſtibus fidem adhibēdam, præſertim quum non ex veritate, ſed ex odio ac maleuolentia & inuidia omnia dixiſſent. Tum odii cauſas ita explicuit, vt haud procul abfuerit à perſuadendo: ita erant veriſimiles, vt (excepta fidei cauſa) parua illis teſtimoniis fides adhibita eſſet. Commotæ erant omnium mentes, & ad miſericordiam flectebantur.

tur. Addiderat enim se sponte ad concilium venisse, ad se purgandum & vitam suam, & studia exposuerat officiorum plena ac virtutum. Dixerat hunc morem priscis doctissimis viris ac sanctissimis fuisse, vt in rebus fidei sententiis discreparent, non ad pessundandam fidem, sed ad veritatem reperiendam. Ita Augustinum & Hieronymũ dissensisse, nec solum diuersa sensisse, sed etiam contraria, nulla hæresis suspicione.

Expectabant autem omnes, vt semel se purgaret retractando obiecta, vel erratorum veniam postularet. At ille nec se errasse asseuerans, nec se retractare aliorum falsa crimina velle ostendens, tandem descendit in laudem Ioannis Hussi ad ignem damnati, virum illum bonum, iustum & sanctum appellans, & illa morte indignum: se quoque paratum quoduis supplicium adire forti animo & constanti, séque inimicis suis cedere & testibus impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere nõ potuerint, essent rationem eorum quæ dixissent reddituri. Magnus erat circumstantium animi dolor: cupiebant enim virum tam egregium saluari, si bona mens adfuisset. Ille autem in sententia sua perseuerans, vltrò mortem appetere videbatur, laudánsque Ioannem Hussum, ait, Nihil illum aduersus Ecclesiæ Dei statum sensisse, sed aduersus abusus Clericorum, aduersus superbiá, fastum ac pompam Prælatorum. Nam quum Ecclesiarũ patrimonia primò deberentur pauperibus, tum hospitibus, deinde ecclesiarum fabricis, indignum illi bono videri, dispendi illa meretricibus, conuiuiis, equorum ac canum saginæ, cultui vestimentorum, & aliis rebus indignis religione Christi.

Hic autem maximi ingenii fuit. Quum interrumperetur sæpius oratio sua variis rumoribus, lacesseretúrque à nonnullis sententias eius carpentibus, neminem eorum intactum reliquit, paritérque omnes vlcis-

ſcens,vel erubeſcere coëgit,vel tacere. Surgente murmure ſilebat,turbam quandoque increpans,poſteà orationem perſequebatur, orans atque obteſtans,vt ſe loqui paterentur quē non eſſent amplius audituri. Nunquam ad hos rumores expauit, mente firma atque intrepida.

Illvd verò fuit admirabile memoriæ argumentum. CCC. XL. diebus fuerat in fundo turris fœtidæ atque obſcuræ, cuius aſperitatem ipſemet quæſtus eſt, aſſerens ſe, vt fortem & bonū virum decet,non propterea ingemiſcere quòd indigna perpeſſus eſſet;ſed mirari aduerſus ſe inhumanitatem. Quo in loco, nedum legendi,ſed ne videndi quidem habuit facultatem. Mitto anxietatem mentis, qua oportuit quotidie illum agitari,quæ omnem memoriam excutere debuiſſet. Tamen cum tot doctiſſimos & ſapientiſſimos viros in teſtes ſuarum opinionum allegaret,tot doctores eccleſiaſticos in medium protulit in ſententiam ſuam, vt ſatis ſuperque fuiſſet ſi toto hoc tempore, ſummo in otio, ſumma in quiete,ſapientię ſtudiis operam dediſſet. Vox eius ſuauis,aperta,reſonans erat, quadam cum dignitate:geſtus oratorius, vel ad indignationem exprimendam,vel ad commouendam commiſerationem, quam tamen nec poſtulabat,nec conſequi cupiebat.Stabat impauidus,intrepidus, mortem non contemnens ſolùm, ſed appetens,vt alterum Catonem dixiſſes.O virum dignum memoria hominum ſempiterna! Non laudo, ſi quid aduerſus inſtituta Eccleſiæ ſentiebat: doctrinam admiror, plurimorum rerum ſcientiam, eloquentiam, dicendi ſuauitatem,argutiam reſpondendi.Sed vereor, ne hæc omnia in peſtem ſuam ſibi à natura fuerint conceſſa.

Datvm deinde ſpacium pęnitendi biduò.Multi ad illum acceſſere viri eruditiſſimi, vt ipſum à ſententia ſua dimouerent, inter quos Cardinalis Florētinus eum adiit,

adiit,vt flecteret ad viam rectam. Sed quum pertinacius in erroribus perseueraret, per concilium hæresis damnatus,& igni combustus est. Iucunda fronte & alacri vultu ad exitum suum accessit: non ignem expauit, non tormenti genus, non mortis. Nullus vnquam Stoicorum fuit tam constanti animo,tamque forti,mortem perpessus,quàm iste appetiisse videtur. Quum venisset ad locum mortis,seipsum vestimentis exuit. Tum procumbens flexis genibus veneratus est palum, ad quem post ligatus fuit: primùm funibus madentibus, tum cathena nudus ad palum constrictus fuit:ligna deinde circumposita, pectus tenus non minuscula, sed grossa, paleis interiectis. Quũ flamma adhibita fuit canere cœpit hymnum quendam, quem fumus & ignis vix interrupit. Hoc maximum constantis animi signum, quũ lictor ignem post tergum (ne id videret) iniicere vellet: huc inquit, accede, & in conspectu accende ignem. Si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem. Hoc modo vir (præter fidem) egregius cõsumptus est. Vidi hunc exitum, singulos actus perspexi. Siue perfidia, siue pertinacia hoc egerit, certè ex Philosophiæ schola interitum viri descripsisses.

HIERONYMVS SAVONAROLA.





HIERONYMVS SAVONAROLA ITALVS FLORENTINVS, CONCIONATOR, EX DOMINICANORVM ORDINE.

QVis verò non miretur tam miſeris temporibus tantam in homine cucullato, & quidem ſub Dominici, profeſſi iam olim piorum hoſtis, nomine, pietatem tanto cum zelo coniunctam, quanta hæc in te, Hieronyme Sauonarola, extitiſſe plurima tua ſcripta teſtantur? Sed & ipſa mors tibi laudatiſſimæ vitæ teſtimonium tribuit, téque facilè ab obiectis criminibus falſiſſimis abſoluit: ſiquidem homini tam perditè ſcelerato quàm fuit Alexander ille Borgia, Romanus eius nominis Pontifex VI, vſque adeò diſplicuiſſe, vt non niſi te indigniſſimè damnato & cremato quieſcere potuerit, maximum eſſe videtur ſingularis tuæ pietatis argumentum, quam meritò poſtea Marcus Antonius Flaminius, excellentiſſimus poeta, verſibus iſtis optimis celebrauit.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artus,
Relligio ſanctas dilaniata comas,
Fleuit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Strangulatus eſt ac poſtea crematus Florentiæ, poſtulatu Pontificis Alexandri VI, maximo cum bonorum ciuium luctu, anno Domini CIↃ. CCCC. XCVIII.



PRAECIPVA CHRISTIANISMI, NOSTRA PATRVMQVE MEMORIA, INTER GERMANOS INSTAVRATI ORGANA.



IOANNES REVCHLINVS, SIVE CAPNIO, GERMANVS PFORTZENSIS.



IOANNES REVCHLINVS, SIVE CAPNIO, GERMANVS PFORTZENSIS.

CONTICVERAT integro penè seculo Pietas ad Constantiensis synodi perfidiam ac crudelitatem obstupefacta, quanquam aliquot subinde martyribus illam minimè interiisse frustra in medio flammarum supplicio sonorè clamitantibus, quum Pfortza, Marchionatus Badensis ciuitate, prodiens Ioannes cognomẽto Reuchlinus, (quem græcè Capnionẽ, latinè Fumeum possis vocare) incredibili cum successu hebreæ linguæ studia iampridem consopita, coniunctis etiam græcis literis, excitauit: nẽpe vt ex ipsis deinceps fontibus veritatem haurire posteris liceret. Istis verò tam Ecclesiæ necessariis, quàm superstitioni tũc grassanti exitialibus conatibus sese tenebriones sophistæ, (Colonienses videlicet, Hocstrato quodam duce, Matæologi, huius fumi vi, tãquã alter Cacus ex antris suis exciti) mox tanta contentione opposuerunt, vt Romam vsque, ad Leonem decimum, tunc Pontificem, bonis literis non inimicum, causæ cognitio sit delata. Hîc verò quis futurum credidisset, vt, eo sedente Iudice in quem potissimùm hoc telum torquebatur, vinceret veritas? Vicit tamen, damnatisque, Pontificis ipsius iudicio, sophistis, Capnio, & quamuis non claro prorsus igne, fumo tamen edito qui superiorum temporum caliginem discuteret, sequuturæ mox limpidissimæ pietatis flammæ viam præmonstrauit. Hic enim ille est ex cuius auditorio nominatim, præter innumeros alios minus celebres, Oecolampadius, Pellicanus, Munsterus prodierunt.

Obiit in partia magnis auctus honoribus, anno Domini 1518. cuius ἀποθέωσιν Erasmus postea magnopere propterea Sophistis inuisus elegantissimé descripsit.

DESIDERIVS ERASMVS.



DESYDERIVS ERASMVS, BATAVVS, ROTERODAMVS.

DESIDERIVM Erasmũ Roterodamum quamuis inexhausta ingenij vbertas, pari dicēdi facultate, ad summæ gloriæ fastigium nostra memoria euexerit, mihi tamen quædam religio fuit vel in huius sacrarij limine collocare, vt qui suum quoddam, vt in plerisque, ita in religionis etiam negotio, iudicium sequutus, & superstitiones ridendo carpere contentus, res ipsas vsque adeò, vel per se vel ab aliis discere recusarit, vt pessimæ quoque causæ patrocinium susceperit. Quum tamen illi tantum bonæ literæ renascentes, quantum alij ætatis illius nemini debeant, age, locus etiam illi in hoc vestibulo, & quidem hoc addito elogio tribuatur.


Ingens ingentem quem personat orbis Erasmum
Hæc tibi dimidium, picta tabella refert.
At cur non totum? mirari desine, lector,
Integra nam tantum terra nec ipsa capit.

In eundem.

Ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν' Ἀσκραῖος ἔειπεν,
Ἥμισυ δ', ὡς οἶμαι, τοῦτο λογισάμενος.

Obiit Basileæ IIII. Idus Iulii, anno Domini *CIƆ. CCCCC. XXXVI. annum agens septuagesimum.*

MARTINVS LVTERVS,





MARTINVS LVTERVS, GERMANVS ISLEBIVS, ANTICHRISTI ROMANI FLAGELLVM, WITTEBERGENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

HOc vultu fuit Martinus ille Luterus, Islebij in Mansfeldensium Comitum ditione natus, ore toto diuinitus afflatam animi magnitudinem, ipsámque adeò pietatem, cum singulari zelo coniunctam testans: Euangelicæ lucis flammæ, è densissimis tenebris sensim proferendæ, præco à Deo Opt. Max. humani generis miserto excitatus, & quidem (dictu mirabile) ex media Satanæ sentina, pseudomonachorum videlicet Augustinianorum cœnobio, ad repurgandum Dei templum euocatus, eo ipso Antichristo occasionem ei præbente, quem arrepto verbi Dei flagello erat ex occupata Christi domo profligaturus: quem non Cæsares, non Reges, non fulmina ex arce Tarpeïa vibrata, non vllæ innumerabilium Sophistarum phalanges, vel tantillum terruerunt: cuius denique laboribus Ecclesia instaurata, quantum à multis seculis vix cuiquam debet, plura tamen debitura, si tantum in omnibus illum moderationis ac scientiæ retinere, quantum zeli vehementioris diuinitus ipsi concessum erat, peccata hominum, & discipulorum quorūdam turbulentum ingenium permisissent: cui nos carmen hoc triumphale cecinimus.

Roma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit,
Viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.
Quanto iſto maior Luterus maior, & illa,
Iſtum illámque vno qui domuit calamo?
I nunc, Alcidem memorato Græcia mendax.
Luteri ad calamum ferrea claua nihil.

Obiit placidè anno Domini CIↃ. CCCCC. XLVI. Februarii die XVII, annum vitæ agens LXIII, quum anno ætatis XXXIIII, qui fuit annus Domini CIↃ. CCCCC. XVII. Eccleſiam Chriſti cœpiſſet repurgare.



D· j.

PHILIPPVS MELANCHTHON.





PHILIPPVS MELANCHTHON, GERMANVS BRETTENSIS, THEOLOGIÆ ET BONARVM OMNIVM ARTIVM DOCTOR WITTEBERGÆ.

QVIS te verò, Philippe Melanchthon, Martino Lutero diuinitùs ſuccenturiatum, pro dignitate celebrauerit, ſingulare noſtri ſeculi ornamentũ: vtpote ſummam & eruditionis in omni diſciplinarum genere, & tũ in dicẽdo ac ſcribendo perſpicuitatis, tum in docendo candoris laudem omnium eruditiorum conſenſu, conſequutum? pietate, vitæ innocentia, ac in primis incomparabilis modeſtiæ exemplo, non modò cæteris, verùm etiam teipſo ſuperiorẽ? quẽ denique odit nemo niſi omnium odio digniſſimus. Scilicet hoc tuis laudibus vnum deerat, vt ingrati diſcipuli nonnulli, qui te viuum pene adorarant, mortuum inceſſerẽt: admirabili certè Dei prouidentia, ne quos ipſi ſibi commenti ſunt teterrimos errores, ex te, communi quãdiu vixiſti omnium ferè gentium doctore, didiciſſe viderẽtur. At nos contra, vel ipſa crepante inuidia, venerandã memoriam tuam ſic iuuerit celebraſſe.


Et tu igitur tandem tumuli ſub mole repoſtus,
Die ô Philippe, nunc iaces:
Et quam inuidiſti viuus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum paras,
Ipſa tibi cura & ſancti peperêre labores,
Charum ô bonis cunctis caput.

At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Ut lilia inter & rosas,
Quo nil candidius fuit & nil suauius vnquam,
Recubet Melanchthon molliter.
Et grauis huic vt sis caueas, iuuenísve, senéxve,
Qui nemini vixit grauis.

Obiit Wittebergæ annos XLII Theologiam bonásque artes summa cum fide & eruditione & incredibili cum fructu professus, anno Domini 1560. Aprilis die XIX, quum annos vitæ LXIII & dies totidem vixisset.

GEORGIVS ANHALTINVS,





GEORGIVS ANHALTINVS ASCANIÆ PRINCEPS.

GEORGIVM illuſtriſſimis Germaniæ principibus,familia antiquiſſimę nobilitatis prognatū,nemo Theologis miretur annumerari,quum hoc ipſe viuus ſanctiſſimo zelo affectarit. Sit igitur hoc tanti Principis ſingulare & rariſſimi à multis ſeculis exēpli decus, quòd & optimi principis & diligentiſſimi paſtoris munus obiit,vt felices illius ſubditi haberēt,quem & in terris dominum agnoſcerent,& vt ducem in cælum præeuntem ſequerentur .Neque verò tam anguſtis limitib⁹ cōtineri tot tātæque virtutes potuerūt. Itaque & vicinæ & longius remotæ Eccleſiæ in tanti viri conſiliis, quædam etiam in eius autoritate acquieuerunt, patēte ipſius domo bonis piiſque omnibus , ac præſertim magno illi Philippo Melanchthoni,quem turbulētiſſimis illis Germanici ciuilis belli tempeſtatibus cōſeruatum debemus.Singulari denique omnium virtutum exemplum pius hic Princeps ſuppeditauit,quod vtinam pauculos ſaltem inueniat imitatores , qui videlicet eo ſint iudicio præditi,vt quod extructum volunt , ipſimet ab Eccleſiarum vaſtatoribus decepti non euertāt. Salue tu verò Anhaltina nobiliſſima domus,adiunctúmque tibi ſplendididiſſimum iſtud decus perpetuis ſeculis tuetor.

Obiit feliciſſima morte annum agens vitæ duntaxat XLVI, XV Cal. Nouembris,anno Domini CIↃ. IↃ. LIII.



IOANNES BVGENHA-
GIVS, GERMANVS,
POMERANVS.





IOANNES BVGENHAGIVS, GERMANVS, POMERANVS.

IOANNEM Bugẽhagium, ex monaſterii quoque cloacis erutum Luterus in paſtoris munere collegam habuit, moribus quidem diſſimilem, ſed doctrina & vitæ inſtituto penitus concordem. Nam vt ille natura vehemens & aſper, ita iſte manſuetus & moderatus eſt ſemper habitus, quod & ipſius ſcripta teſtantur: in quo fuit hoc quoque eximium, quòd ab ambitione & auaritia prorſus alienus, quum ad altiora ſæpe inuitaretur, in illa ſua ſorte totos annos triginta quatuor, ſumma tum fide tum diligentia vbique præſtita, perſeuerauit, placidè tandem, quum annum ſeptuageſimum tertium ageret, viribus corporis paulatim deficientibus, inter chariſſimorum fratrum manus, beata ſui memoria relictà, defunctus.



IVSTVS IONAS GERMA
NVS, SAXO, WITTE-
BERGENSIS ECCLESIÆ
PASTOR.





IVSTVS IONAS, GERMANVS, SAXO, WITTEBERGENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

IVSTVM Ionam, iuris humani consultum, Theologia, iuris diuini magistra, sibi cõmodissimũ restituendæ in Saxonia Ecclesiæ, futurum adiutorem asseruit: in quo munere præstando, neque doctrinam neque prudentiam ipsi defuisse, vel illud ostendit, quòd primis illis turbulentissimis instaurati Euangelii temporibus nihil insigne, nisi ipso conscio, & suas etiam partes agente, in Germania gestũ fuit, vicinarum quoque Ecclesiarũ, ac præsertim Hallensis Saxonicæ inspectore: in cuius etiam veluti sinu Martinus Luterus animam exhalauit.

Obiit autem in Ecclesia Eyssefeldensi, magni illius principis Electoris Ioannis Friderici filiorum in acerrimis illis tempestatibus constantissimus comes, annum agens vitæ sexagesimum tertium, anno Domini CIↃ. IↃ. LXV.



IOANNES FORSTERVS, GERMANVS, AVGVSTANVS, HEBRAICÆ LINGVÆ IN WITTEBERGENSI ACADEMIA PROFESSOR.





IOANNES FORSTERVS, GERMANVS, AVGVSTANVS, HEBRAICÆ LINGVÆ IN WITTEBERGENSI ACADEMIA PROFESSOR.

IOANNEM Forsterũ Augusta Windelicorũ, Wittebergæ Saxonum, vel Ecclesiæ toti poti⁹ genuit, Hebraicæ linguæ professorem longè doctissimum, vt lexicon eius linguæ ab ipso editum testatur: in quo sicut in ipsis rebus, sic etiam in vocibus non rarò cæcutiuisse Grámaticos hebræos contendit, qua in re vt non omnes habeat adstipulatores, sic tamen ad linguam sacram accuratiùs cognoscendam doctorum ingenia magnoperè exacuit, iisdem studiis, quibus contentus vixerat, feliciter anno Domini CIↃ. IↃ. LVI immortuus.



GASPAR CRVCIGER,
GERMANVS, LIPSIENSIS
ECCLESIASTES WIT-
TEBERGENSIS.





GASPAR CRVCIGER, GERMANVS, LIPSIENSIS, ECCLESIASTES WITTEBERGENSIS.

GASPARVM Crucigerum res ipsa demonstrauit fuisse Martino Lutero, in opere domini conficiendo, adiūctum: trium linguarum egregiè peritum, ingenio acrē, & miræ, vt aiunt, in exscribendis illius enarrationibus celeritatis: cuius etiam iudicio Luterus in Germanica Bibliorum trāslatione fertur plurimùm vti consueuisse. Fuit prætereà physices, tum geometriæ, tum veræ illius Astronomiæ, atque adeò Medicinæ quoque mirificè studiosus, adeò vt nisi Theologiæ professionem cæteris omnibus studiis sapiētissimè antepofuisset, in singulis illis excellere potuisse meritò iudicetur.

Obiit autem in sua statione Wittebergæ, corporis viribus tantum ingeniū minimè adæquantibus, florente adhuc ætate, anno vitæ videlicet confecto quadragesimo quinto, anno autem à Christo nato CIↃ. IↃ. XLVIII. XVI, Nouembris.

IOACHIMVS CAMERARIVS,



IOACHIMVS CAMERARIVS, GERMANVS, PABEMBERGENSIS, GRÆCÆ LINGVÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR LIPSIÆ.

QVo plures eruditos homines Germania nostris têporib⁹ protulit, eò maior & illustrior est Ioachimi Camerarii gloria, qui honorata familia Pabembergæ natus, quùm literarum studia cæteris rebus anteposuisset, eò prouectus est eruditionis, vt, communi doctorũ omniũ cõsẽsu, peritiorẽ linguæ Græcæ neminẽ, in latina verò lingua disertiores perpaucos, exactiorẽ autẽ nullum scriptorem habuerit Germania, sicut plurima ipsius monimenta testantur. Ad hanc autem in omnibus bonis disciplinis eruditionem accesserat pietas singularis, prudentia longo rerum vsu confirmata, quum etiam magno illi Philippo Melanchthoni id ipsùm esset quod Atticus ille Ciceroni, tantum denique iuuãdæ rei literariæ studium, vt, spretis dignitatibus omnibus, quas alioqui facilè suis virtutibus consequi potuisset, in nobilissimis Academiis Wittebergẽsi, Tubingensi, Heidelbergẽsi docendo consumptis aliquot annis, Lipsiæ tãdem positis sedibus, in extrema senecta fortiter idem munus obiens, lugẽtibus bonis piisque omnibus, & mox sequuturam rerum commutationem præsagientibus, in Domino placidè obdormiuerit: hoc quoque beneficium à Deo cõsequutus, vt doctissimos patríque simillimos liberos reliquerit. Nos autẽ hoc epigrãmate sumus illũ prosequuti.

Extinctis olim, Musæ, fleuistis alũnis,
Et vitam vestra restituistis ope.
Nos contrà vobis, Ioachimi in funere, Musæ,
Has miseri extinctis soluimus exequias.
Namque omnes tecum, tecum, Ioachime, Camœnæ
Vt vixere simul, sic periere simul.


MATTHIAS PFARRERVS
ET IACOBVS STVR-
MIVS ARGENTI-
NENSES PA-
TRICII.
MAT. PFAR.

MATTHIAS PFARRERVS ET IACOBVS STVRMIVS ARGENTINENSES PATRICII.

DVo illa non Argentinensis tantùm reip. verùm etiam totius Germaniæ lumina, Matthiam Pfarrerum & Iacobum Sturmium, absit vt silẽtio prætercam: vtrunque literis politum, ingenio magno, prudentia singulari, pietate eximia, studio in iuuanda patria indefesso. Hi sunt igitur quorum præcipuè hortatu Christianismus in vrbe citrà tumultum initio instauratus, & schola illa celebris, adhibito in consilium doctissimo viro Ioanne Sturmio adhuc superstite, fuit constituta: quorum denique consiliis Argentinensis resp. tum domi sapientissimè gubernata, tum foris fortissimè citra vim armorũ, Iacobi præsertim Sturmii facũdia, defensa, difficillimis asperrimísque temporibus stetit: adeò quidem vt quemadmodum olim Cicero vnius eloquentiæ vi Ligarium Iulio Cæsari vel inuito reconciliauit, haud paulò aliter Sturmii Cæsari Carolo armato & victori occurrẽtis eloquẽtia omnem illius iram infregisse meritò censetur. Itaque Pfarrerum ciuitas minimè ingrata (quod antea nemini concessum fuerat) septies consulem creauit, & quamuis penè octuogenarium mortuum, tamen non secus quàm intempestiuè sibi ereptũ luxit: & Iacobũ Sturmium aliquoties ciuitatis magistrum (qui summus est illius reip. magistratus) declaratum, ac licet Pfarrero ætate iuniorem, priorem tamen, anno vitæ videlicet LXIII, qui fuit annus Domini CIↃ. IↃ. LV, mortuum, vt patriæ patrem maximo cum mœrore sepeliuit. Istud tamen in Sturmio fortasse quispiã meritò reprehenderit, quòd in perpetuo cœlibatu viuẽs, hæredem suorum virtutum patriæ videri possit inuidisse. Sed quid si veritus est vetus illud & quidem re ipsa frequenter approbatum, Heroum filii noxæ?



PETRVS BVFLERVS, GERMANVS I-SNENSIS.





PETRVS BVFLERVS, GERMANVS, ISNENSIS.

QVO rariores Petri huius Bufleri mercatoris, & quidem locupletis, virtutes fuerunt, eò digniores sunt quarum exemplum omnibus proponatur. Certarunt igitur in hoc homine cum diuitiis, honesta mercatura partis, propagandæ veræ pietatis studium incredibile, charitas vera, liberalitas lõgè maxima. Hic enim ille est qui Ambrosio Blaucero, domũ suá perducto, Christianismi Isnæ instaurandi primus autor fuit: qui, Paulo Fagio suasore, officinam typographicá, accersitis etiá maximo sumptu doctissimis Iudæis, ad hebræos excudendos libros, nulla non modò lucri spe, sed etiam maximo dispẽdio, Isnæ constituit: qui quum ex vicinis oppidis non paucis selectos adolescentes, quorum opera postea Ecclesiæ vterentur, Argentinam suis stipendiis erudiẽdos misisset, Senatum Argẽtinensem sancta quadam æmulatione ad scholam illam nobilem instruendá erexit: cuius domus, vt Abrahami alterius, pauperibus semper patuit: cuius vxor vt altera Sara neque liberalitate, neque in suscipienda pauperum, præsertim ægrotá tium inspectione marito cessit: qui denique in ipsa morte sui similis, bonorum suorum trientem piis vsibus consecrauit, hoc etiam à Domino consequutus, vt qui piorũ hominum multorum vitam fouerat, diutissimè quoque, annos videlicet LXXVI, viueret, anno demum Domini CIↃ. IↃ. LI, anima illi perplacidè reddita, cuius gloriam omnibus opibus anteposuerat viuus.

F. iij.



MATTHIAS ZELLIVS, GERMA-
NVS, KEYSSERSPERGENSIS
ARGENTINENSIS
ECCLESIÆ
PASTOR.





MATTHIAS ZELLIVS, GERMANVS, KEYSSERSPERGENSIS, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

MATTHIAM quoque Zellium, Dei prouidentia ex obſcuriſſimis tenebris, Laurentiani videlicet templi in Argentinenſi ciuitate parochum, ad illam admirabilem Euangelii ſui lucem euocauit: qui primus Antichriſtianæ doctrinæ in vrbe frequentiſſima & epiſcopo ſuo addicta, palam, non ſine magno vitæ diſcrimine, aduerſatus, certare pri⁹ non deſtitit quàm profligatis planè ſuperſtitionibus, Eccleſia, Bucero & Hedione adiutoribus, anno Domini milleſimo quingenteſimo viceſimo nono, autore Senatu, conſtitueretur: homo non doctrina tantùm, ſed etiam chriſtianis virtutibus, ac præſertim modeſtia, temperantia, & charitate in pauperes inſignis. Docuit autẽ in Argentinẽſi Eccleſia annos viginti ſex, anno vitæ ſeptuageſimo primo placidè mortuus anno Domini CIↃ. IↃ. XLVIII.

MARTINVS BVCERVS.





MARTINVS BVCERVS, GERMANVS, SELESTADIENSIS, ECCLESIÆ ARGENTINENSIS PASTOR, ET DEMVM IN ACADEMIA CANTABRIGIENSI THEOLOGIÆ PROFESSOR.

HÆc illa eſt Martini Buceri facies grauitatis comitate temperatæ ſpeculum. Cui ex Dominicanorum cloaca Lutheri voce Wormaciæ coram Cæſare liberè loquentis excito, variiſque poſt inſidiis appetito, ciuitas Argentinenſis reſtitutam apud ſe Eccleſiam debet: cuius & eruditionem ſingularem, & zelum pietatis eximium cum excellente prudentia coniunctum, omnibus ſeculis teſtabuntur tum doctiſſimæ ipſius lucubrationes, & in publicis Imperii comitiis diſputationes habitæ, tum pro Eccleſiarum pace, quamuis non ſatis fœlici ſemper ſucceſſu, labores ſuſcepti. Quæris quam tandem mercedem retulerit? quam nimirum mundus perſoluere piis Dei ſeruis conſueuit. Illum igitur eadem illa tẽpeſtas quæ Germanicas Eccleſias penè peſſundedit, in Angliam vſque expulit: vbi ab Eduardo ſexto religioſiſſimo Rege humaniſſimè except⁹, & in academia Cantabrigienſi Theologiam ſummo cum doctorum piorumque omnium concurſu circiter biennium profeſſus, quum placida morte pridie cal. Martias anno Domini 1551, annum ætatis agens ſexageſimum primum obiiſſet, quinto poſt anno, euerſo poſt Eduardi Regis obitum Religionis ſtatu, & impio apoſtata Reginaldo Polo Cardinali, Mariæ Reginæ temporib⁹ omnia ſuo vnius nutu adminiſtrante, eruto crematóque ipſius

in eadem academia cadauere anno domini 1556, die sexta Febr. martyrii palmam tulit: quarto rursus post anno admirabili rerum viciſſitudine ſub Elizabeta regnante, iudicio aduerſus innocentem publicè reſciſſo, in integrum reſtitutus, cui ſumus verſiculis iſtis gratulati.

Natales, Bucere, tuos Germania iactat,
Natalibus felix tuis.
Quis verò & quantus fueris, tua ſcripta loquuntur,
Ad littus orbis vltimum.
De vita ſi quis rogitet, Germania dicet,
Inuita Bucerum expuli.
Aſt ego ſic pulſum (pia dixerit Anglia) foui,
Tandemque texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane) ſepulcro
Flammis cremauit erutum.
Fallor ego, totus terrenæ fecis an expers,
Bucere ſic cælum tenes?



PAVLVS FAGIVS.





PAVLVS FAGIVS, GERMANVS, TABERNENSIS, ECCLESIÆ ARGENTINENSIS PASTOR, AC TANDEM IN CANTABRIGIENSI ACADEMIA THEOLOGIÆ PROFESSOR.

Absit vt mortuos seiungamus quos eadem fides, eadem in vna ciuitate functio, idem exilium, idem denique martyrium coniunxit. Hic igitur ille est Paul⁹ Fagius apud Tabernas Rhenanas, Palatinatus oppidũ, natus: Capitonis (cui postea successit) hebræam linguã Argentinæ profitentis tam diligens, quamuis premẽte paupertate, auditor, vt tandem, ipsis quoque testantibus Iudæis, eius linguæ peritissim⁹ euaserit. Isnã enim ad pastoris munus accito, vt olim Origeni Ambrosius quidã, sic Fagio diuinitus contigit Petrus Buflerus, ex ordine illius ciuitatis senatorio, cuius prõptissima sanctissimáque liberalitate fretus, illum Iudæorum à multis seculis doctissimum Heliam ad se acciuit, & typographiam instituit hebræis excudendis libris, non illis fabulosis, impiis & ineptis, sed vtilibus & ad veram religionem accõmodatis destinatã: maxima quoque proculdubiò præstiturus, nisi difficultates aliæ obstitissent. Tãdem igitur Argentinam euocatum, ibíque tum pastoris tum doctoris munus egregiè sustinentem, eadem illa quæ Bucerum hunc quoque tempestas in Angliam expulit: vbi vix salutata Cantabrigia, anno Domini 1555. pridie Idus Nouembris, annum vitæ 45. agens mortuus, eandem quinto post anno cum charissimo collega Bucero martyrii palmam Marianis temporibus tulit, simul postea cum eodem, sub Eduardo rege, ipsius memoria in integrum restituta.



GASPARVS HEDIO, GERMANVS, ETLINGENSIS, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTOR.





GASPARVS HEDIO, GERMANVS ETLINGENSIS, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

GASPARVM Hedionem, honesta familia natum, & Basileæ, vixdum renata in Germania Euangelii luce, Matæologiæ doctorem, ac deinceps Moguntinum Ecclesiasten creatũ, ademerat nobis tẽporũ illorum infelicitas, nisi Dominus tum ipsius tum Ecclesiæ suæ mi sertus, illum veritatis luce Illustratum, Argentinã, Matthiæ Zellio & Martino Bucero, tunc primùm Argentinæ verum christianismum instaurantibus, adiutorem futurum extrusisset: vbi quum Concionatoris munere totos annos viginti tres, summa cum fide ac diligentia perfunctus esset, editis etiam nonnullis historicis scriptis, anno Domini CIↃ. IↃ. LII, XVII. Octobris, magno sui desiderio cunctis relicto, feliciter in Domino obdormiuit.



WOLFGANGVS FABRICIVS CAPITO, GERMANVS, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTOR.





WOLFGANGVS FABRICIVS CAPITO, GERMANVS, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

WOLFGANGI Fabricii Capitonis nomen eruditio singularis in hebraicis præsertim literis, & eximia pietas, nunquã interire patientur: quarũ testimonia pauca quidem, sed luculenta edidit, plura multò habituris posteris, nisi quæ verbis docebat, agendo potius quàm scribendo confirmare maluisset: in eo quidẽ felix, quòd ex hac vita prius euocatus quàm Argẽtinensem Ecclesiam bellorũ tempestatibus exitio proximã videret, charissimis collegis Martino Bucero & Paulo Fagio, exilii in Angliam comes non fuit, sed dux potius in cælum, anno Domini CIↃ. IↃ. XLII, pestis lue sublatus, præiiuit.

WOLFGANGVS MVSCVLVS.





WOLFGANGVS MVSCVLVS, LOTHARINGVS, DVSANVS, IN ECCLESIA BERNENSI THEOLOGIÆ PROFESSOR.

Hactent alii nobiles natales quos nimiũ sæpe vitiis insignibus contaminant: nobilitatẽ autem suã eximiis plurimis virtutibus quod ipsa quoque augusta facies testari videtur, inchoarit Wolfgangus Musculus: quem Dusæ, Lotharingicæ ditionis oppido, Alsatiæ proximo, patre tenuis admodum fortunæ natum, neque paupertas quominus honestis omnibus studiis incumberet, neque monachatus pedicæ (quibus tũc facile fuit homines, pietatis & honesti otii specie, illaqueare) retinuerunt, quominus agnita veritatẽ, Pauli exemplum sequutus, textrinã etiam disceret, qua sese, quietus in domo Dei permanens, nemini grauis, sustentaret. Sed latêre diutius non potuit quem Dominus ad res magnas gerendas à tam paruis initiis destinarat. Itaque Argentinæ magno illi seruo Dei Martino Bucero pietate doctrináque sua approbata, designatus ab Augustana Ecclesia Vrbani Regii doctissimi optimíque viri successor, tantum effecit, vt vrbs illa antea in vtramque partem claudicãs, Euangelicam doctrinã apertè amplecteretur: & ipse tum concionando, tum sacras literas laboriosissimis commentariis illustrando, tum Græcorum scripta latinè interpretando, multis denique obitis pro tuenda vera religione in Imperii comitiis legationibus, clarissimũ in Ecclesia Dei nomen meritò sit adeptus. Sed quæ

Bucerum & Fagium in Angliam expulerat belli tempestas, Musculum quoque frustrà, summo etiam cum vitæ discrimine, in confirmandis suis Augustanis omnia expertum, vrbe excedere coegit: quē benigne exceptum inclita Bernensium ciuitas sacros libros maximo cum ecclesiarum omnium fructu interpretátem totos annos quatuordecim fouit, donec videlicet annum agens vitæ sexagesimum sextum, placida morte, quemadmodum omnibus vtilis, nemini grauis vixerat, III. Cal. Sept. anno Domini 1563, ad dominum migraret: hoc etiā à Deo beneficiū consequutus vt filium Abrahamum Musculū relinqueret, fidelem Ecclesiæ Bernensis Ecclesiasten, & in quo renatus meritò videri possit. Nos autem illi sic parentauimus.

Magnum dicere musculum pusillum
Quum sit auribus insolens latinis,
Magnum hunc dicere Musculum quòd ausim,
Quamuis puluere conditum pusillo,
Si causam rogitas, viator: audi.
Haud quaquam fuit iste mus pusillus,
(Ipsum si libeat vocare murem)
Illarum ex numero famelicarum
Quæ felis rapidos verentur vngues:
Sed qui ipsos potius catos rapaces,
Quantumuis solitos potentiorum
Ipsis cum dominis domos vorare,
Viuus perculit, & suo pauentes
Adhuc nomine territat sepultus.
Immo quem tremuit quoque illa rupis
Tarpeiæ arcibus incubans leæna,

Orbis

Orbis magnanimos vorans monarchas.
Magnum & dicere Musculum pigebit,
Quanuis puluere conditum pusillo?



HERMANNVS WIDENSIS COMES, COLONIENSIS ARCHIEPI-SCOPVS, SACRI ROM. IMPERII SEP-TEMVIR.





HERMANNVS, WIDENSIS COMES, COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS, SACRI ROM. IMPERII SEPTEMVIR.

SI magnis in rebus vel voluisse satis est, quæ tibi laus debetur, Hermanne, qui Septemuirorum Ecclesiasticorum Imperii primus, non oculos modò aperuisti ad exortam Euangelii lucem, sed etiã accitis quoque doctissimis theologis Melanchthone & Bucero, vt omnes tibi attributæ Ecclesiæ lumẽ istud tecum intuerentur pro viribus efficere studuisti? Sed erant illorum plerique nimirum tanto beneficio indigni. Tu verò haud secus quàm olim à Iuda CHRISTVS à tuo Ioanne Groppero proditus quum esses, retulit quidem hic quoque proditor stipendium peccati mortem, Cardinalitii galeri vinculis strangulatus: tu verò non modò conscĩetiam tuam liberasti, sed teipsum quoque memorabili seculis omnibus exemplo superasti, quum vltro vi maiori cedẽs, paternis bonis cõtentus, placidè Christianéque viuere, quàm licet immerito ereptam dignitatẽ tuorum subditorum sanguine tutari maluisti.

Electus hic Archiepiscopus anno Domini CIↃ. IↃ. X, Cæsare Carolo vim alioqui illaturo cessit archiepiscopatu anno Domini CIↃ. IↃ. XLVI, placidissima postea morte, Biuerni suæ Widensis ditionis oppido, feliciter mortuus anno Domini CIↃ. IↃ. LII.

ANDREAS GERARDVS.





ANDREAS GERARDVS, FLANDER, HYPERIVS, THEOLOGIÆ PROFESSOR MARPVRGENSIS.


HIc ille est Andreas, Hyperius à patria cognominatus, quem Hyperarũ ciuitas non tãtùm Ecclesiæ & academiæ Marpurgensi, in qua theologiam vir citra controuersiam eruditissimus simul & diligentissimus, totos annos viginti duos docuit: sed vniuersæ potius Ecclesiæ christianæ genuit, vtpote quam ne mortuus quidem libris, scientissimè solidissiméque scriptis erudire desinat: plura etiam multò posteris relicturus nisi maiorem vtilitatis publicæ, quàm valetudinis curam gerentem intempestiua mors sustulisset, quem mortuum hoc carmine sumus prosequuti.

Non Hyperis dedit hoc, Hyperi, tibi patria quondam,
Quod superis potius ducis cognomen ab oris:
Nec tibi sors olim tribuit temeraria nomen,
Andreæ: at ipsa suo ornauit te nomine virtus.
Hoc sancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat, superûm curæ cælóque sacrata.
Ecquis enim melius, quisnam te fortius vno
Tarpeia aggressus depellere rupe tyrannum?
Certius an quisquam erranti per deuia turbæ
Commonstrauit iter superas quod ducit in artes?

Macte igitur vertute, Hyperi, quem nec fera totum
Mors domuit, totum nec seruant claustra sepulcri,
Quin superi meliore fouent iam parte receptum,
Altera dum tumulo quæ nunc pars clausa quiescit,
Exanimísque licet iam cœli ad lumen anhelat,
Euigilet fœlix: & quod tu diceris, illud
Enadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

Obiit Marpurgi vbi annos XXII, & amplius theologiã professus est, anno Domini 1564, Cal. Februarii, annum vitæ agens LIII.




IOANNES SLEIDANVS,
BELGA.



IOANNES SLEIDANVS, BELGA.

IOANNEM, à patria Sleidanum cognominatũ, Lutetiæ bonis diſciplinis excultum excepit Argentina, vbi quum & eruditionis & prudentiæ atque pietatis multiplex ſpecimen indidiſſet, dignus eſt habitus cui licet peregrino res longè maximi momẽti procurandę committerentur. Itaque tum in Anglia communi Proteſtantium, quos vocant, nomine, legationem obiit, tum etiam interfuit Tridẽtino conciliabulo ciuitatis Argentinenſis legatus: in quo vtroque munere, quamuis difficultatum pleno, talem ſe præſtitit, vt magnam ab iis, à quibus miſſus erat, laudem reportarit. Sed æternum illi⁹ laborum teſtimonium eſt hiſtoria illa de reip. & religionis in Germania ſtatu ab initio inſtaurati à Lutero Chriſtianiſmi diligentiſſimè viginti quinque libris, non hortante modò, ſed etiam materiam ei ſuppeditante clariſſimo viro D. Iacobo Sturmio, veriſſimè ſimul & elegantiſſimè perſcriptaa, adiecto etiam de quatuor monarchiis erudiſſimo commẽtario: hanc ipſius gloriã, quamuis nõ abſque inſigni Eccleſiæ totiúſque Germanici imperii detrimẽto, augente eorũ culpa, qui, ſiue negligentia, ſiue præpoſtero metu, ſiue quòd illum æquare ſe poſſe deſperarant, conticeſcere, réſque tam memorabiles pati ſilentio perire, quàm opus ab illo cœptum perſequi maluerunt. Obiit autem Sleidanus Argentinæ ex epidemico morbo, anno ætatis dũtaxat quinquageſimo, qui fuit annus Domini CIϽ.IϽ.LVI.




VLRICHVS HVTTENVS, GERMANVS, FRANCO.






VLRICHVS HVTTENVS, GERMANVS, FRANCO.


VLRICHVM Huttenum generis nobilitatem, gentilitio cognométo, & virtute quoque militari testatam, animi vigor insignis magis etiam nobilitauit, quum ad eruditionem non paruam, acumen quoque & festiuum in primis ingenium ad poeticen natum, (sicut variis carminibus & aliquot etiam lepidissimis dialogis declarauit) adiunxisset, eásque dotes ad veræ pietatis propugnationé contulisset, acrior tamen, & mordacior, vt multò solidiorem ac viuaciorem gloriam meritò fuerit adepturus, nisi mors illum intempestiua, annum videlicet ætatis tricesimum quintum agenté, priusquam illa ingenii vehementia maturesceret, è viuis sustulisset.


BEATVS RHENANVS,
GERMANVS, SE-
LESTADIENSIS.




BEATVS RHENANVS, GERMANVS, SELESTADIENSIS.

BEATVM Rhenanũ,quomin⁹ vt nomine ita reipsa quoque penitus beatè vixisse arbitremur,illud obstat quòd veram religionem sic approbarit, vt illã tamẽ apertè non sit professus, siue istud timiditate quadam fecit, homo vsque adeò tranquillioris vitæ appetens,vt in patria nullum publicum munus vnquam subire,ac ne vxorem quidem,quanquam vnicus patris hæres,& quidem satis locuples ducere sustinuerit:siue quòd sese cuiuspiam aliquando communi consensu constituendæ in religione concordiæ spe pasceret:siue potius Erasmi exemplum hac etiam in re aliquatenus sequutus,cui plurimum in omnibus tribuebat,& quem Basileæ studiosissimè coluerat. Vtcũque sit,multùm illi sedulo & pereru dito antiquitatum obseruatori,omnes bonarum literarũ studiosi debẽt, vt qui,&si nõ omnia sit assequutus,plurima tamen acutè ac diligenter animaduerterit,&aditũ ad alia cognoscenda multis ante tenebris obsitum aperuerit:quod & illi de Germanicis rebus libri,& doctissima tũ Tertulliani,tum etiam Taciti,Plinii,Liuii, Senecæ,Paterculi recognitio,abundè demonstrat. Vixit igitur in patria cœlebs inculpatè,gratus omnibus, nemini grauis,ad sexagesimum vsque secundum annum,quo ex balneis rediẽs,Argẽtorati est mortuus,anno Domini CIↃ. IↃ. XLVII, indeque in patriam,cui instructissimã bibliothecham legarat,deportatus,ibíque meritissimo & honorificentissimo cum elogio sepultus.




SEX GERMANIÆ EXIMII MARTYRES.


HENRICVS ZVPPHA-
NIENSIS, GER-
MANVS



HENRICVS ZVPPHANIENSIS, GERMANVS.

HENRICVM Zupphanienſem ex academia Witebergenſi, in qua doctis omnibus ac preſertim Philippo Melanchthoni chariſſimus aliquandiu vixerat, in Dithmarſiam ad cæleſtem propagandam doctrinam anno Domini CIϽ. IϽ. XXII. euocatum, & à Monachis tandem poſt infinita ſuperata diſcrimina Altorffio expulſum, neque tamen propterea de priſtino zelo quanquam remittentem, excepit Meldorffium, vbi Dominicanorum impulſu à tumultuante plebe eodẽ momento captus, omni crudelitate excarnificatus, indictáque demum cauſa vſtulatus, ſeſe quaſi Germaniæ primitias, anno Domini CIϽ. IϽ. XXIIII, conſecrauit


WOLFGANGVS SCHV-
CVS, GERMANVS.
W.SCHVCVS.



WOLFGANGVS SCHVCVS, GERMANVS.

HVIVS altero post anno vestigia sequutus Schucus in Lotharingiæ oppidulo quod S. Hippolitũ vocant, Euangelium constanter tum voce, tum etiam erudito ad Antonium ducem scripto professus, quum ob eam rem periclitari ciuitatem ipsam vidisset, boni illius pastoris exemplum sequutus, vltrò Nanceium ad principem venit, vbi in teterrimum carcerem coniectus, indéque crudelissimi Franciscani Monachi Bonauenturæ Renelii conuitiis oppressus, & mox ad ignem abreptus, ea constantia pyram accensam Psalmum quinquagesimum primum decantans subiit, vt mortem ipsam lacessere videretur, XIX Augusti, anno Domini CIↃ. IↃ. XXV, duobus paulò post ex iudicum numero, à quibus damnatus fuerat, subita morte sublatis.


LEONARDVS CÆSAR,
GERMANVS, BA-
VARVS.



LEONARDVS CÆSAR, GERMANVS, BAVARVS.

LVDOVICVM, cognomento Cęſarem, honeſta familia ortu in Rabę, Bauarię oppidulo, liceat nobis Imperatorem etiam nominare, veterum Romanorum more, ſuos duces rebus egregiis geſtis hac acclamatione honeſtantium: vt qui proditoriè viſendi moribundi patris obtentu Witteberga accitus, & mox pro hęretico damnatus, quo crudelius vſtulatus fuit, eo glorioſiore exitu de morte ipſa, anno Domini CIↃ. IↃ. XXVII, XVI Aprilis, dignum etiam ſua virtute pręconem Martinum Luterum nactus, triumphauit.



GEORGIVS CARPENTE-
RIVS, GERMANVS,
BAVARVS.





GEORGIVS CARPENTERIVS, GERMANVS, BAVARVS.

ALTERVM eodem anno vertente, insignis alius Christi athleta Georgius Carpenterius, Monaci, quę est Bauarię metropolis, in eiusdem generis certamine triumphum egit, sed eò celebriorem, quòd & in vrbe frequentiore, & in spectatiore pugna fides ipsius magis enituit, quum & oblatam si modò veritatem euo caret vitę veniam palàm respueret, & aduersariis in ipsa morte fortiter repulsis, hoc verum (diceret) vobis fidei meę signũ esto, quòd IESV nomẽ ad extremũ vsque halitum inclamabo, quod & sanctè, quamuis veluti repetitis mortibus vstulatus, ipsis obstupescentibus carnificibus, reipsa pręstitit.



PETRVS FLISTEDIVS, ET ADOLPHVS CLA-REBACHIVS, GER-MANI.





PETRVS FLISTEDIVS, ET ADOL. CLAREBACHIVS, GERMANI.

ANNO insequente, nempe CIƆ. IƆ. XXVIII, multis calamitatibus, fame videlicet, eóque morbo quem Anglicum sudorem vocant, vastatione denique per Turcas Hungarię illata, insigni, clamantibus ad rauim Coloniensibus Theologis, iram Dei non nisi Luteranorum, quos vocabant, suppliciis expiatum iri, duo isti eruditione, & pietate, aliísque virtutibus insignes iuuenes, Coloniœ eodem penè momento, ad dicendam causam & ad supplicium abrepti mutuò sese cohortantes, veritatem beata morte sanxerunt, tam fœcundis ipsorum cineribus factis, vt malos ipsos consultores siue mox consilii tum puduisse tum pœnituisse constet.



PRÆCIPVI INSTAVRATORES RESTITVTI NOSTRA MEMORIA IN HELVETIA, VICINISQVE REGIONIBVS VERI CHRISTIANISMI.

HVLRICHVS ZVINGLIVS.



IOANNES OECOLAMPADIVS.





HVLRICHVS ZVINGLIVS, HELVETIVS TVGIENSIS, ET IOANNES OECOLAMPADIVS GERMANVS, CHERVSCVS, WINSPERGENSIS, ILLE QVIDEM TIGVRINÆ, HIC VERO BASILIENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

O PAR nobile Synaſpiſtarum Hulrichũ ZuingliũTigurinæ & Ioannem OEcolampadiũ Baſilienſis eccleſiarum nobiliſſimarum inſtauratores! vtrunque ex Antichriſti faucibus omnipotentis Dei manu, ad illum verbi dei gladio iugulandum erutũ: quorum ſecundum Deum excellenti doctrinæ, ſummæ fidei, laboribus incredibilibus, inuictæ denique cõſtantiæ, tot vbique animæ, ac præſertim Alpinarum gentium pars longè maxima, aſſertionem ex antichriſti tyrãnide in chriſtianam libertatem debẽt: longius etiam multò progreſſuris, niſi, ſic merentibus hominũ peccatis, opus Domini à quibuſdam (proh dolor) eius ipſius architectis fuiſſet impeditum. Quos autem CHRISTI fortiſſimos athletas, mutuas ſibi operas tradentes, idem pietatis amor coniunxerat, mors eodem anno ſuperueniens, diuerſa tamen, ad exiguum tempus ſeparauit. Bello ſiquidem ab iis exorto qui fulgorem Euangelii ferre non poterant, Zuinglium in caſtris miniſterio ſuo fungentem, hoſtilis manus cæſum cremauit, vt ſerui ſui obitum Deus dupli ci decore coronaret. Quod enim ſanctius aut honeſtius cuiquam mortis genus contigerit, quàm ſi pro patria ſimul & pro Dei gloria moriatur? OEcolampadiũ verò non ita multò poſt Baſileæ gregem ſuũ, peſte graſſan

te

te vehementer afflictum, tum verbo Dei tum integerrimæ vitæ exemplis consolantem, idem morbus placidè in Christo morientem, commilitoni suo rursum in meliore illa vita cælesti adiunxit. O fœlix (iterum inquam) Dei seruorum iugum, si subigi & seri sese ab istis passus esset mundus. Nos autem gratis hominibus succinentes, agedum sic vtrique parentemus.

HVLRICHO ZVINGLIO.


Zuinglius arderet gemino quum sanctus amore,
Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ,
Dicitur in solidum se deuouisse duobus,
Nempe Deo in primis, deinde etiam patriæ.
Quàm bene persoluit simul istis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

IOANNI OECOLAMPADIO.

OEcolampadius, serena nuper
Lampas, æde sacra Dei coruscans,
Qualis limpidióruе, puriórue
Vix vllis micuit lucerna seclis,
En mortis iacet obrutus tenebris.
At vobis malè sit, malæ tenebræ,
Lucis munere quæ breui fruentes,
Eheu, nos miseros homunciones
Nocte sic premitis tenebricosa.
Sed bene hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quòd dum ipsam petitis, malæ, lucernam,

Laternam tamen obruistis vnam:
Laterna vt lateat quidem hîc sepulta,
Ipsa sed magis emicet lucerna.

Cæsus est ac mortuus crematus Zuinglius anno Domini 1531, die Octobris XI, anno vitæ XLIIII. Oecolampadius autem anthrace correptus Basileæ obiit eodem anno Cal. Decembris, anno ætatis XLIX.



M. iii.



BERTHOL-
DVS HALLERVS,
HELVETIVS, ET FRANCI
SCVS KOLBIVS, GERMANVS,
ROETILENSIS, BERNENSIS EC-
CLESIÆ PRIMI, PROFLI-
GATO PAPISMO, IN-
STAVRA-
TORES.






BERTHOLDVS HALLERVS, HELVETIVS, ET FRANCISCVS KOLBIVS, GERMANVS, ROETILENSIS, BERNENSIS ECCLESIÆ PRIMI, PROFLIGATO PAPISMO, INSTAVRATORES.

QVANTVM illustri Bernensium Reipubl. christianæ omnes Ecclesiæ, tantum ipsa Berna duobus istis, omni virtutum genere, ac præsertim pietate præstantissimis viris, restituto, ipsorum potissimùm opera, christianísmo debet. Quorum ille postquam Coloniæ gradum Theologiæ primùm adeptus esset, canonicus simul ac concionator Bernæ constitutus, veritate paulò post ex ore simul & scriptis Hulrichi Zuinglii cognita, tam fortis illius propugnator fuit, vt Ioanne Eckio, illo Romanensium sophistarum acutissimo, in Badensibus totius Helueticę gentis comitiis, publica disputatione confutato, Berna anno consequente papismum eiurarit: hic verò quum illorum temporum infelicitate abreptus, Basilęa ex S. Martini schola, vbi iuuentutē aliquādiu docuerat digressus, & in Sueuia, tranquillioris ad exercēda studia vitæ studiosus, monasticā vitā esset professꝰ, deinceps perspecta & ipse veritate, Bernā ob eruditionis & pietatis famā accitus, ac Bertholdo in cōcionādi munere cōiunctus fuit. Itaque postea mutuas tradentes operas, anno Domini 1527. indicta Magistratuum decreto publica disputatione, papismi defēsores ex Dei verbo reuicerūt, adeò vt communi consensu tū in vrbe, tū in vniuersa, quæ amplissima est, illius reip. ditione, vera Euangelii restitutio sit recepta: in quo stadio feliciter

vterque tū puræ doctrinæ præceptis,tum integerrimæ vitæ exemplo cunctis preiens ad obitum vſque perſeuerauit,Kolbius quidem ſeptuagenarius anno Domini 1535. mortuus:Hallerus autē anno inſequente, immatura planè morte,quum annum vitæ duntaxat quadrageſimum quartum ageret, in Domino piè placidéque hac vita defunctus.


IACOBVS MEIERVS,
CONSVL BASI-
LIENSIS.



IACOBVS MEIERVS, CONSVL BASILIENSIS.

QVVM plerosque ornare soleat Magistratum dignitas, hic cõtra Tribunatũ simul & Consulatum, ad quas suæ illum virtutes in patria extulerunt, maximis difficillimísque gestis rebus, exornauit: bello videlicet, quod rusticorum vocant, summa prudentia cohibito: vera religione, admirabili quadam fœlicitate, in vrbem, citra magnas turbas, anno Domini 1529. recepta: academia paulatim collabente in integrum restituta, ciuibus denique ad antiquam morum simplicitatem & integritatem ipso quoque habitu testandam reuocatis: quibus studiis incumbentem & iam annis non minus quàm meritis grauem quum pestis, anno Domini 1541, sustulisset, ciuitas illum haud secus quàm patriæ parentem luxit, publicóque honestissimo elogio sepultum decorauit.

AMBROSIVS BLAVRERVS.



AMBROSIVS ET THOMAS BLAVRERI, FRATRES, CONSTANTIENSES, CIVITATIS CONSTANTIENSIS, ILLE QVIDEM PASTOR, HIC VERO CONSVL.

HOc illud eſt par fratrum, quo haud ſatis ſcio an vllum hiſce temporibus extiterit plurimis diuinis donis cumulatius. Vterque ſiquidem parentibus ciuitatis Conſtantienſis nobiliſſimis natus, non modò eruditione, pietate, prudentia, verùm etiam facundia ſingulari excelluit: & hic quidem auctoritate ac conſilio patriam, quandiu libera fuit, Conſul feliciſſimè gubernauit: Ambroſius verò quaſi diuinitus hoc nomen ſortitus, totúſque à teneris annis promouendæ CHRISTI glorię addictus, ſicut zelo (vt tempora tunc ferebant) prępoſtero monachatum erat profeſſus, ita, ac etiã multò ardentius, veritatem agnitam amplexus, chriſtianiſmum in patria reſtituit: Bernæ, Vlmæ, Wormaciæ, fidis paſtoribus ac doctoribus ſuccenturiatus, veritatis hoſtes profligauit: Tubingæ conſtitutam Eccleſiam fulciuit: Conſtantia denique (cuiuſcunque tandem culpa id factum ſit) vi maiori cedente, vterque patriæ conſpectu, cæteríſque bonis carêre, quàm tantæ inconſtantiæ ſpectator & particeps eſſe maluit. Et quidem Thomas in vicinam Heluetiam ſeſe recipiens, Scipionis illius Africani maioris memoriam renouauit: Ambroſius autẽ in incępto perſiſtens, honeſtè recuſato maiorum eccleſiarum onere, Bielis primum, quod oppidulum eſt Neocomo proximũ & Bernenſibus confœderatũ, ac demum Vitoduri, non procul Tiguro, maxima cum modeſtiæ laude, gratis prædicandi Euangelii munere perfunctus, tandem, quùm annum vitæ ageret LXVII, placidiſſima morte, ingrata patria neutrius oſſa ſeruatura, beatus ad Dominum emigrauit.

HENRICVS BVLLINGERVS.





HENRICVS BVLLINGERVS, BREMGARTENSIS, HELVETIVS, ECCLESIÆ TIGVRINÆ PASTOR.

HÆC illa est veneranda Henrici Bullingeri canities, hominis orbe toto christiano, quamplurimis æternùm mansuris scriptis, à doctrina, pietate, & mirifico quodam ingenii ac stydi candore celeberrimi: quē fœlicissimè exantlatos labores, annum quidē vitæ septuagesimum primū, sacri verò publici in ecclesia ministerii quinquagesimum agentem (quorum annorum septem partim in vicis Capellæ cœnobio vicinis, partim in patria, reliquos autem quadraginta tres in Ecclesiæ Tigurinæ vna cùm doctissimis collegis administratione omni laude maior consumpsit) Dominus quidem ipse tādem, quasi anno iubileo fidissimum sibi seruum manumissum, æternę libertatis præmio, die Septembris decima septima, anno partę salutis millesimo quingētesimo septuagesimo quinto donauit: Ecclesiæ verò tum propinquæ tum remotissimæ, veluti communem parentem luxerunt, in quibus & ego quem viuum vt alterum parentem colui, his versibus celebraui mortuum.

Doctrina si interire, si Pietas mori,
Occidere si Candor potest,
Doctrina, Pietas, Candor, hoc tumulo iacent,
Henrice, tecum condita.
Mori sed absit illa posse dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos.

Immò interire forsan illa si queant,
Subiréque tumuli specum,
Tu tu illa doctis, tu piis, tu candidis,
Et non mori certißimis,
Tenaci ab ipsa morte chartis asseras,
Ipso approbante numine.
Fœdus beatum! mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuit aliis, & sibi?



LEO IVDÆ, HELVETIVS,
ECCLESIÆ TIGVRINÆ
PASTOR.





LEO IVDÆ, HELVETIVS, ECCLESIÆ TIGVRINÆ PASTOR.

LEONEM, cognominatum Iudæ, concionantem, vt in Theologiæ studio, sic in sacro ministerio magni illius Zuinglii socium audiit, & meritò adamauit Ecclesia Tigurina: cuius ea fuit in audiendo collega tum diligentia tum modestia, vt non pœnitẽdam illius scriptorum partem summa fide ex ore ipsius exceptam ei debeamus. Sed præcipuum ipsius eruditionis testimonium, nec vnquam interiturũ, illa est duplex Bibliorum versio, vna veteris Testamẽti latina, in qua certantem cum styli simplicitate sermonis elegantiam nõ immeritò admiratus est vsque adeo Vatablus, Christianorum seculi nostri hebræorum doctissimus habitus, vt eo minimè inuito Lutetię quoque, paucis immutatis, à Roberto Stephano sit excusa: altera verò integrorum Bibliorum Germanica, quæ summæ quoque fidei à doctissimis viris habetur. Hæc igitur Leonis studia, hi labores fuere, ad annum vsque Domini 1544, quo iam ingressus senectutis limen in æternam quietem, præclara sui memoria relicta, demigrauit.

SIMON GRYNÆVS.





SIMON GRYNÆVS, GERMANVS, GRÆCARVM LITERARVM ET THEOLOGIÆ IN ACADEMIA BASILIENSI PROFESSOR.

O Beatam Basileã, loci amœnitate & vrbis amplitudine, sed multò magis bonarum literarum sede, tantoque præstantissimorum virorum paucis annis numero, quantus vel in vllo maximo terrarũ orbis regno extitit: Typographis quoque artis suæ emulatione cum illorum ingenii fœcunditate certantibus, & tũ his tum illis vrbem nobilitãtibus! Sed qualis ille Solis radiantis splendor cæterorum syderum lumen obscurat, talis inter cæteros extitit Simon ille Grynæus, in quo modestia singularis cum disciplinarum omniũ exacta cognitione, amabilissimi mores cum grauitate, cum pietate denique zelus certauit: sibi ipsi quidẽ satis longæuus, licet vigente adhuc ætate mortuus, anno Domini 1541, vtpote cui nihil amplius quod disceret superesse videretur: cæteris verò intempestiuè nimiùm ereptus, quos nimirum, quò plura didiscerat, eò docere plura, vir iuuandis aliorum studiis natus, potuisset. Nos autem illi hoc epicœdion cecinimus.

Te quicunque, Simon Grynæe, aspexit, amauit.
Splenduit in vultu gratia tanto tuo.
Te quicunque, Simon Grinæe, audiuit, amauit,
Facundo fluxit tantus ab ore lepos.

Amplius at cur non audire & cernere fas est?
Scilicet hoc fati vis inopina vetat.
Imo fallor ego: nam sint paucissima quamuis
Ingenii nobis scripta relicta tui,
Te spectamus adhuc, te nos miramur in illis,
Aeternoque manes dignus amore Simon.

Obiit Basilææ ex peste anno Domini 1541, *anno ætatis XLVIII, Cal. Augusti.*

CONRADVS
PELLICANVS,
GERMANVS, RVBEA-
QVENSIS, SACRARVM LITE-
RARVM IN ECCLESIA
TIGVRINA PRO-
FESSOR.



CONRADVS PELLICANVS, GERMANVS, RVBEAQVENSIS, SACRARVM LITERARVM IN ECCLESIA TIGVRINA PROFESSOR.

CONRADVM quoque Pellicanũ nobis Fráciſcanorum cloaca Baſilienſis abſorbſerat, quum illũ Dei manus erutum, in eadem vrbe Baſilienſi primùm, ac deinceps Tiguri, ſingulare decus illius ſcholæ futurum ſibi conſecrauit: Hebraicarũ præſertim literarum, ſicut præclara ipſius in vniuerſum ſacrarum literarum corpus ſcripta teſtãtur, vſque adeò peritum, vt ex ipſis quoque Iudæorum Rabinis pauci cum eo conferri poſſe videantur. Ad hanc autem eruditionem acceſſit maxima vitæ integritas, ſummáque modeſtia, in qua ad extremam vſque ſenectam perſeuerás, nemini grauis, omnibus gratus, ex hac vita Tiguri, anno Domini CIↃ. IↃ. LV, feliciter migrauit.

PETRVS MARTYR.





PETRVS MARTYR, FLORENTINVS, IN ECCLESIA TIGVRINA THEOLOGIÆ PROFESSOR.

PETRVM Martyrem honesta & locuplete Vermiliorum familia Florentiæ natum, & è Sauonarolæ veluti cineribus prodeũtem phœnicem, operæpretium est intelligere quibus anfractibus circũactũ Deus Optimus Maxim⁹ in Ecclesiã suam perduxerit, & perductum seruauerit. Quis igitur credat per ipsos inferos viam in cælum patere? atqui res ita se habet, quoties ita illi visum est qui lucem ex ipsis tenebris eruit. Martyr igitur noster ab ipsa penè pueritia studio bonarum literarum ac pietatis in primis inflammatus, quum sese monasterio Fesulano, Florentiæ proximo, vbi qui sese regulares sancti Augustini canonicos vocant, cæteris monachis seueriore disciplina vti, & diligentiùs etiam studia literarum excolere videbantur, anno ætatis decimosexto adiunxisset, ita porrò sese inter monachos illos gessit, vt nulla occasione prætermissa, Patauii grecæ linguæ totiúsque philosophiæ cognitionem, Bononiæ verò hebraicarum literarum exactam notitiam adeptus, habitísque in precipuis totius Italiæ vrbibus concionibus sacris, omnium illius ordinis sodalium princeps esset & haberetur, maxima quidem cum eorum monachorum inuidia, quorum ipse mores non modò non ferebat, sed etiam quibuscunque poterat modis castigabat. Et hæc quidem illius ad pietatem, velut in mediis inferis meditandam progymnasmata fuerunt, donec Neapoli Ioãne Valdesio Hispano illi occurrente, sic inter illos de purioris religionis capitibus conueniret, vt Ecclesiæ quoque Christiane cœtum aliquem cogeret, primæ etiam nobi


litatis tum viris tum fœminis frequentatum. Id verò quũ neque Satã neque eius emissarii ferre possent, accusatus Romæ Martyr, sed mirabiliter amicorum opera quos in vrbe plurimos potẽtissimos habuit, seruatus, & Lucam in eiusdẽ ordinis collegium, summa cum dignitate translatus, vsque adeò constanter in incœpto cursu perseuerauit, vt instituta in ipso monasterio, in quo Pauli Epistolas interpretabatur, trium linguarum professione, hebręam quidem Emanuele Tremellio, genere hebręo, sed religione christiano, gręcam verò, Celso, ex illustri comitum Martinenghorum familia, latinam denique Paulo Lacisio Veronensi profitente, prima in ea ciuitate instaurandi christianismi fundamenta iecerit: mox scilicet Romæ vstulandus, nisi amicorum suasu, ingratę Italię valedicens, Tigurum primùm, indè Basilęã, Argẽtinã denique procurante Martino Bucero vocatus, venisset. Discedenti comes adhæsit Bernardinus ille Ochinus, maximi prius in Italia nominis monachus, & Capucinorum (quos vocant) ordinis auctor, idémque, quod multis demum post annis patefecit, sceleratus hypocrita. Sed huius longè dissimiles fuerunt qui Martyris exẽplum ex eiusdẽ ordinis monasterio sequuti sunt, Paulus Lacisius Argentinæ postea gręcas literas ad mortẽ vsque professus: Celsus Martinengus Italicę Geneuensis ecclesię pastor, ibidem mortuus: Hieronymus Zanchus, & Emanuel Tremellius, vterque, quum hęc scriberem adhuc Dei benignitate superstites: & ille quidem tum in Germanicis ecclesiis Argentinensi & Heidelbergensi, tum in Rhetia, ac nunc demum in Neostadiana schola clarissimum eruditionis ac pietatis nomen adeptus: hic verò suo merito hebræorum ętatis nostrę doctissimus habitus. Cęterùm vt ad Martyrem redeam, quę bellorum tempestas Bucerum & Fagium, eadem quoque Martyrem Argentina in Angliam ab Eduardo sexto Rege euocatum transtulit: vbi qualem & quantum sese in Oxoniensi Academia pręstiterit, doctissima ipsius

ſcripta,ac præſertim diſputatio de Cœna Domini,teſtificantur. Marianis autem mox ſequutis temporibus,ſæuiſſimæ illi carnificinæ diuinitus rurſum ereptus Martyr,quum Argentinæ in priſtinum locum eſſet reſtitutus, Tigurum tandem,eccleſiæ rogatu,theologiam profeſſurus tranſiit, vbi quum ad quinquennium, maxima cum omnium attentione & admiratione, ſacras literas eſſet interpretatus, flagitante Catharina Medicęa Florentina,Caroli Francorum Regis pupilli matre, Regníque Gallici gubernatrice,& Nauarrorum Regis ac piorum infinitorum hominum rogatu, vt conuentui qui religionis conſtituendæ cauſa Piſſiaci, oppido Lutetiæ vicino,indictus fuerat,intereſſe vellet,in Galliam vſque venit:& veritatis cauſa,quamuis non eo prorſus quem omnes boni optabant ſucceſſu,fortiſſimè tamen nec infeliciter etiam defenſa, quum Tigurum ad ſtationem ſuam rediiſſet altero poſt anno,qui fuit à nato CHRISTO 1562, pridiè Idus Nouembris, annũ ipſe ætatis agens 63, placidiſſima beatiſſimáque morte,in Bullingeri & aliorum amicorum veluti ſinu obdormiuit: teſtes maximorum & ſanctiſſimorum ſuorum laborum, non modò plurimos nunquam abolendos libros, ſed ipſam quoque Italiam,vniuerſam Germaniam,Angliam, Heluetiam,Galliam denique relinquens: quem nos ſumus hoc carmine proſequuti.

Tuſcia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr, quem extinctum, nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ ſi vera volent, te & nomine dicent,
Hic fidus Chriſti (credite) Μάρτυρ *erat.*
Utque iſtæ taceant, ſatis hoc tua ſcripta loquuntur:
Plus ſatis hoc Italis exprobrat exilium.

IOSIAS SIMLERVS.





IOSIAS SIMLERVS, HELVETIVS, CAPELLENSIS, IN ECCLESIA TIGVRINA THEOLOGIÆ PROFESSOR.

IOSIAM Simlerũ, Petri Martyris in theologię professione in ecclesia Tigurina succeſſorẽ, quis nõ miretur paucis annis, & quidẽ ſæuiſſimis duobus morbis, calculo videlicet ac podagra, conflictantem, id eſſe conſequutum, quod pauciſſimis hominibus vita longior & aſſidua diligentia contulit? Quis enim in mathematicis diſciplinis, & quidem αὐτοδίδακτος, extiterit, non modò qui docentem illum audiuerunt, ſed etiam & libri & inſtrumenta nobiliſſima ab ipſo excogitata teſtificantur. Quantus autẽ in hiſtoria fuerit, oſtendunt ſcripta, præſertim quibus patriã immortalitati conſecrauit. Quàm denique in Theologicis excelluerit (quæ fuit ipſi⁹ propria profeſſio) quantíque in ſcribendo tum acuminis, tum iudicii, veterum quoque Theologorũ lectionę cõfirmati, ſatis ſupérque demõſtrant Samoſateniani, Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Macedoniani, Tritheitæ denique noſtris temporibus rurſum ab inferis excitati, & diuini verbi gladio fortiſſimè Simleri manibus vibrato iugulati. Quid non igitur ab hoc ingenio potuit expectari, ſi paulò firmius corporis domiciliũ habuiſſet, & niſi mors illum immatura planè ſuſtuliſſet? annum ſiquidem agens duntaxat quadrageſimum quintum, die ſecunda Iulii, anno Domini 1576, nobis eſt ereptus, me quidem immaturum illius obitum ſic deplorante,

Simlere, mi Simlere, quo superstite
Tot mortui reuixerant,
Quos ira nobis numinis, tam pauculis
Ademit annis plurimos.
Simlere, quem tremuit renatus Arrius,
Tremuit renatus Eutyches,
Vastator ille Poloniæ, hic Germaniæ,
Læsi flagella numinis.
Heu subita & immatura te mors auferens
Quàm multa tecum sustulit!
Lamenta amicis quanta, quot iustißimos
Secum dolores attulit!
Quos inter, ecce Beza quondam haud vltimus,
His irrigat te lacrymis:
Beza repetito vulnere isto saucius,
Communis ad tumulum patris.

IOACHIMVS VADIANVS.





IOACHIMVS VADIANVS, HELVETIVS, SANGALLENSIS, EIVSDEM CIVITATIS CONSVL.

IOACHIMVM Vadianum Sangallensem, Poëtam excellentem, Mathematicum ac præsertim Geographum exactissimum, quod ipsius in Pomponiũ Melam commentarii & trium orbis partium epitome demonstrant, insignem denique medicum, adde etiam ea tum prudentia tum integritate vitę præditum, vt ei patria summum magistratum vltrò detulerit, omnes sibi disciplinæ certatim vendicant. Sed illum sibi Theologia optimo præ cęteris iure sibi asserit, vt qui tũ in Cœnæ Domini controuersiis explicandis, tum in fanaticis Schuuenfeldii deliriis refutandis, quibus Eutychetis & Enthusiastarum errores renouauit, diligentissimam simul & vtilissimam operam nauauerit: quarum omniũ virtutum gloria fruens, iam senex, placidissima felicissimáque morte, beatam sui memoriam relinquens, è viuis excessit.



PETRVS CHOLINVS, HELVETIVS, TVGIENSIS, BONARVM LITERARVM IN TIGVRINA ECCLESIA PROFESSOR.





PETRVS CHOLINVS, HELVETIVS, TVGIENSIS, BONARVM LITERARVM IN TIGVRINA ECCLESIA PROFESSOR.

ABSIT, vt te indictum prętercam, Choline, non tã quòd priuato beneficio longè maximo tibi sum obstrictus, quẽ totos annos quatuor sub Meliore Volmario præceptorem fidelissimum ac doctissimum habui: quàm quòd tua summa tum doctrina tum pietas memoriam merentur sempiternam. Paucos enim ętatem nostram habuisse tecum in trium linguarum ac grecę prę-sertim, cognitione conferendos, Gulielmum ipsum Budæum non semel Lutetię, quum ad illum ventitares, testatum fuisse cõstat, Gallicæ quoque linguæ, quamuis tibi peregrinę, vsque adeò peritum, vt absolutissimam etiã eius grammaticen conscripseris. Sed illud inter cætera palmarium in te fuit, quòd ambitiosæ vitæ fugitans, ad docendam iuuentutem, ac pręsertim ad amplificanda sacra studia, libros, quos apocryphos appellant, è gręco sermone in latinum summa tũ fide tum eruditione interpretatus, contuleris: longè plura & maiora procul dubio nobis pręstiturus, nisi te intempestiua mors adhuc ætate firma, anno Domini 1542, nobis eripuisset.

SEBASTIANVS MVNSTERVS.





SEBASTIANVS MVNSTERVS, GERMANVS, INGELHEIMEIENSIS, IN ACADEMIA BASILIENSI THEOLOGIÆ PROFESSOR.

EN aliud Basiliensis Academiæ, suíque adeò seculi decus, Sebastianum Munsterum, admirabili quoque Dei prouidentia, ex Franciscano Christianum factũ, hebręę & chaldaicę linguę accurata cognitione, plurimísque tum in sacras literas, tum in varias Matheseos partes editis scriptis, ac præsertim laboriosissimo illo volumine nobilem, quo duce, peregrinari terrarum orbem, domi etiam manendo, licet. Sit igitur perennis illius viri memoria qui tot regionum, ciuitatum, familiarum, virorum denique nominibus, immortalitatem pro virili conciliauit.

Obiit ex peste anno Domini 1552, *annum vitæ agens LXIII.*

CONRADVS GESNERVS.





CONRADVS GESNERVS, TIGVRINVS, IN ACADEMIA TIGVRINA PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

CONRADVM Gesnerum, Tiguri honestis quidē, sed tenuis fortunę parentibus natum, inter ętatis nostræ clarissimos homines sua tum pietas tum eruditio, probitas denique singularis meritò collocarunt, vt plurimarum linguarum, ita omnium physices partiū, & intimornm naturę arcanorum vsque adeò peritum, támque diligentem ac laboriosum scriptorem, vt si stylum excolere quàm simpliciter ex aliis optima fide collecta pleraque proponere maluisset, neque mors illum immatura sustulisset, ætas hęc nostra in vnico Gesnero tum Varronē alterum, tū Plinium quoque renatum fuerit habitura: cuius vt amicissimi & sub Meliore Volmario communi præceptore Biturigibus suauissimi condiscipuli obitum istis ἐπιμίκτοις versiculis celebraui.

Te cælo mutante solum, Gesnere, volucres
Quæcunque pennis aëra permeant,
Repleuere modis omnia tristibus,
Migrantem amicum, extrema supra sidera,
Omnes eum sonitu graui insequutæ.
Te cælo mutante solum, Gesnere, feroces
Gemuêre in antris belluæ,
Et stabulis pecudes relictis.
Sibilis colubri te feri gemunt lugubribus,

Imísque quotquot sub cauernis
Occulta terrarum colunt:
Et flaccidum plantæ virentes,
Et pallidum flores nitentes,
Et marcidum arbores comantes.
Regna te per humida,
Et belluosius quâ ferit vndique
Reboantia littora pontus,
Planctu sonoro deflet Amphitrite,
Et liquidis sub aquis pisces natantes mutitant.
Natura te omnis denique vt fidum suorum antistitem
Plorat sacrorum, muta
Futura deinceps, ni loquaris mortuus.
Hæc inter tibi turbatus, Gesnere, parentat
Beza tuus, vati vates, & amicus amico,
His incompositis innumeris numeris.

Obiit anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, die decimatertia Decembris, anno vitæ quadragesimo nono.



IOANNES CALVINVS.





IOANNES CALVINVS, PICARDVS, NOVIODVNENSIS, ECCLESIÆ GENEVENSIS PASTOR.

TESTIMONIVM filii pro parente quum carere vix suspicione possit, res ipsæ, Caluine, testificentur selectissimũ fuisse te Dei Optimi Maximi organũ, cuius ministerio perficeretur veræ religionis instauratio, aliquot ante annis ab aliis feliciter inchoata. Nam tu is es cuius præcipuè doctrinæ, diligentiæ, & indefatigabili zelo Gallia quidem & Scotia restitutum apud se CHRISTI regnũ meritò acceptũ ferũt: aliæ verò per orbẽ terrarum innumerabiles ecclesię plurimùm se debere profitentur. Testes harum rerum sunto, partim nunquam interitura monimenta quibus nihil in sacris explicandis, neque iudiciosius, neque enucleatius, neque magnificentius, à quoquam verbi diuini interprete adhuc scriptum fuisse verè pii doctíque omnes agnoscunt: partim furiosorum matæologorum rabies in te vnum prę cęteris, tum viuum tum mortuum accẽsa. At tu interea Caluine fruere apud CHRISTVM fidi serui prẹmiis: vos autem ecclesię Christianæ (crepãte inuidia) Caluino quoque mortuo vos docente, pergite erudiri. Vos denique Sophistę, exitio deuotum sceleratorum hominum genus, sanctissimo doctissimóque theologo magis ac magis oblatrantes, vestram tum stultitiam deridendam, tum improbitatem abominandam patefacite, tantisper dum iustus ille iudex suũ cuique redditurus adueniat. Obiit autem Geneuę Caluinus ex phtisi vigiliis & ieiuniis immodicis contracta, quum illam ecclesiam, infinitis cum difficultatibus stabilitam, totos viginti tres annos conti

nuos vnà cum doctissimis suis collegis felicissimè gubernasset, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die Maii vicesima septima, annum agens vitæ quinquagesimumquartum: quem mortuum, & sicuti iusserat, nullo sepulcri apparatu elatum, non modò ciuitas Geneuēsis vniuersa, sed etiam pii per orbem terrarum plurimi ceu parentem luxerunt. Inter quos & ego sic illum mœstissimus hoc carmine ἐπιμίκτῳ deploraui.

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali,
Ipsa à quo potuit virtutem discere virtus,
Cur adeò exiguo ignotóque in cespite clausus
Caluinus lateat, rogas?
Caluinum aßiduè comitata modestia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui inuidêre cuncta poßint marmora!



GVILLELMVS FARELLVS.






GVILLELMVS FARELLVS, DELPHINAS, GAPPENSIS, NEOCOMENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

GVILLELMVM Farellum Delphinatem, nobili familia ortum, & discendis bonis artibus Lutetiæ, hortatu Iacobi Fabri Stapulẽsis, cuius supra meminimus, sese in Cardinalis gymnasio (quod vocant) exercentem persequutio aduersus Meldẽses exorta, & pietatis propagandæ studium in Heluetiam pertraxêre, vbi amicitia cum doctissimis Helueticarum ecclesiarum, tunc instaurari cœptarum, pastoribus, Bertholdo Hallero Bernensi, Vlricho Zuinglio Tigurino, Ioanne Oecolãpadio Basiliensi, inita, mox sese ex illorũ cõsilio, propagãdo Euãgelio in vicino Gallici idiomatis regionũ tractu dedidit, tanta quidem animi contentione, tantóque ardore, vt illum diuinitus ad hoc munus accitum res ipsa demonstraret. Hic enim ille est qui nullis difficultatibus fract⁹, nullis minis, cõuitiis, verberibus denique inflictis territus, Mõbelgardẽses, Neocomẽses, Lausanenses, Aquileienses, Geneuẽses denique Christo lucrifecit. Fuit enim in hoc homine præter pietatem, doctrinam, vitæ innocentiam, eximiámque modestiam, singularis quædam animi præsentia, ingenium acre, sermo vehementiæ plenus, vt tonare potius quàm loqui videretur: ardórque denique tantus in precando, vt audientes quasi in cælum vsque subueheret. His illum virtutibus in ecclesia Neocomẽsi florentem, & ne in senectute quidem de pristina diligẽtia quidquam remittentẽ, Dominus ad se tandem placida morte, annum vitæ agentem septuagesimũsextũ euocauit, anno partæ salutis 1565, XIII. Septembris, quum charissimo suo Caluino annum vnum menses tres & dies quatuordecim superuixisset.

PETRVS VIRETVS.





PETRVS VIRETVS, SABAVDVS, ORBENSIS, ECCLESIÆ LAVSANENSIS PASTOR.

PETRVS Viretus, Orbæ natus ditionis Bernensis oppidulo Burgundis proximo, fuit & ipse constituendis in toto illo tractu ecclesiis, Farelli videlicet indiuiduus comes, quē etiam Lutetiæ cognouerat, à Deo excitatus: homo & eruditione præstans, moribus suauissimis præditus, & oris facundia præcipuè excellens, vt meritò nonnulli Caluinum, Farellum, & Viretum, vt eiusdem muneris functione, sic etiam animis coniunctissimos, lectissimam quādam prętantissimorum pastorū triadem vocarint, eruditionis quidem penes Caluinum, vehementiæ verò penes Farellum, facundiæ denique laude penes Viretum manente. Quod ego versiculis istis aliquando cecini.

Gallica mirata est Caluinum Ecclesia nuper,
Quo nemo docuit doctius.
Est quoque te nuper mirata Farelle tonantem,
Quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhuc fundentem mella Viretum,
Quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his seruabere testibus olim,
Aut interibis Gallia.


FVIT autem Viretus imbecilli per se corpusculo, quod naturæ vitium vehementer auxerunt, partim ve-

nenum ipsi à Geneuensis cuiusdam canonici seruo propinatum, partim vulnera in agro Paterniacensi à sacrificulo ipsum per insidias inuadente inflicta, vsque adeo grauia vt iacentem pro mortuo relinqueret. Liberatus autem à totidem mortibus, quum multos annos docens ac scribens in ecclesia Lausanensi maxima cum laude consumpsisset, ac deinceps Lugdunum, Gallicarum ecclesiarum precibus accitus, durissimis ciuilis belli tempestatibus & sęuissimæ mox consequutæ pestis temporibus Lugdunensem ecclesiam vnà cum suis collegis sapientissimè gubernasset: tandem cogente Iesuitarum factione, primùm quidem in Occitaniam, deinde verò pientissimæ Nauarrorum Reginæ Ioannæ rogatu in proximos Pyręneos saltus profectus, ibi tandem magno cũ bonorũ omnium luctu, anno Domini CIↃ. IↃ. LXXI ex hac vita in alteram illam meliorem sexagenarius emigrauit.



IOANNES FROBENIVS, GERMA-
NVS, HAMELBVRGENSIS, NO-
BILIS TYPOGRAPHVS
BASILIENSIS.





IOANNES FROBENIVS, GERMANVS, HAMELBVRGENSIS, NOBILIS TYPOGRAPHVS BASILIENSIS.

IOANNEM Frobenium, cuius diligentiæ, fidei, industriæ, tot optimos trium linguarum ſcriptores magnificentiſſimè ſimul & emendatiſſimè excuſos, ac velut è tenebris in lucē reuocatos legimus, ecquis tandē ſua laude fraudari ſuſtineat? Viuat igitur æternùm, inuita morte, quæ repentina paralyſi correptū anno Domini milleſimo quingenteſimo viceſimoſeptimo ſuſtulit è viuis, eius hominis memoria, qui tot prçclarias tātorum virorum monumentis quandam immortalitatis ſpeciem conciliauit, & in auitas virtutes vtinam ipſius poſteri perpetua ſerie ſuccedant.



ILLVSTRES GALLI QVORVM ALII BONAS LITERAS, ALII PRÆTEREA VERVM CHRISTIANISMVM IN GALLIIS INSTAVRARVNT.

FRANCISCVS I. FRANCORVM REX.





FRANCISCVS, EIVS NOMINIS PRIMVS, FRANCORVM REX.

NEQVE te, Rex potentissime, pudeat (quod tamen absque vlla fastigii regii deminutione fiat) in huius sacrarii vestibulo, nec longius progressum, consistere, iis alioqui solis dicati quibus es tantopere viuus aduersatus: neque tu (religiosior spectator quisquis ades) ad huius licet aduersarii cõspectum cohorresce. Deberi sanè videtur aliqua huius decoris pars ei qui tres linguas bonásque disciplinas, quasi atrienses huius ædis futuras, expulsa barbarie, suo loco restituit: cuius etiam vitia fecerunt subsequutorum temporum mores, vt penè virtutes videri possint.

MARGARETA VALESIA.





MARGARETA VALESIA, FRANCISCI REGIS SOROR, EADEMQVE NAVARRÆ REGINA.

FRANCISCO Regi fratri Margaretam ſororem adiungere fas eſto, dignam licet quæ vel in ipſius ſacrarii penetrali collocetur: fœminam vt ingenii elegantia & acumine fratri parem, ſic pietatis cognitione & iuuandæ Chriſti Eccleſię Zelo, quo fratris iras pro viribus temperauit, & cui conſeruatos plurimos optimos viros debemus, laude dignam ſempiterna: quanuis ipſius gloriæ nonnullam in vltima tandem ipſius ætate credulitas labem aſperſerit.

GVLIELMVS BVDÆVS.





GVLIELMVS BVDÆVS, GALLVS, PARISIENSIS, SVPPLICVM LIBELLORVM MAGISTER.

ADESTO in hoc veſtibulo doctiſſime Gulielme Budæe, quaſi tuo regi apparitor, quãdoquidẽ illius quidẽ auctoritati tuis cõſiliis excitatæ, tuæ verò eruditioni reſtitutã Græcæ linguæ cognitionẽ debere ſe Gallia & omnes eius alumni profitentur: pleniſſimam certè laudem conſequuture, ſi ad incomparabilem illam eruditionem & inculpatam alioqui vitam, veræ quoque religionis cognitionem maiorem adiunxiſſes. Luxerũt te verò & æternùm lugebunt vt alterum parentem Grecæ Muſæ Helicone exulantes, & tuis auſpiciis Lutetiæ receptæ, ex quibus olim hos quoque verſiculos excepiſſe me memini.

Ὅστις Βουδαῖον γλώσσης ὀνομάσσατο Φοῖβον
Ἀμφοτέρας, ὀρθῶς Φοῖβον ἔειπε μάλα.
Ἄξια δ᾽ οὐκ εἶπεν. μείζων γὰρ κ᾽ ἠελίοιο,
Ὅς θνητοῖσι φάος καὶ καταδὺς παρέχει.

Obiit anno Domini 1540, *XXII Auguſti, annos natus* 73.

FRANCISCVS VATABLVS.





FRANCISCVS VATABLVS, GALLVS, EX PICARDIÆ PROVINCIA.

AT te, Vatable, quem Hebræa docentem Hebræi quidẽ ſunt ipſi admirati, Chriſtiani verò plurimi maximo cũ fructu audierunt, quo tandem loco habebimus, qui quod aliis ſacras literas interpretando impertiebas, vſque adeò neglexeris, vt etiam eiuraris? Age tamen, ſumma eruditio, diligentiáque tua, locum tibi quoque in huius ſacrarii veſtibulo compararint, quamuis quò alios introduxiſti, nũquam ipſe videri poſſis ingreſſus.

IACOBVS TVSSANVS.





IACOBVS TVSSANVS, GRÆCARVM LITERARVM IN ACADEMIA PARISIENSI REGIVS PROFESSOR.

IACOBO Tussano singulari trium maximarum in docendo virtutum exemplo, summæ videlicet in docendis græcis literis fidei, perpetuæ diligentiæ, inculpatæ & ab omni ambitione remotæ vitæ, perenne istud monimentum mœrens Gallia, nullum adhuc multis post annis parem doctorem nacta, consecrauit.

MICHAEL HOSPITALIVS.





MICHAEL HOSPITALIVS, ARVERNVS, GALLIÆ CANCELLARIVS.


HIc ille eſt Michael Xenius,ſiue Hoſpitalius, quem admirabilis ſimul & peramabilis eruditio, muſis etiam omnibus illi tanquam alteri Apollini ſuo fauentibus, ingenitam grauitatem ſuauiſſima quadam moderatione temperans, per omnes honorum gradus, velut antiquis moribus, quamuis corruptiſſimo ſeculo, in ſummum togatæ militiæ gradum (vel ipſa fauente inuidia)prouexit:& aliquantò poſt,aſperrimis Gallorum ciuiliũ bellorum tempeſtatibus,ſceleratorum quorundam factione,à Reipubl. Gallicæ gubernaculis ſemotũ fuiſſe maximo ſuo malo ſenſit Gallia:tandémque morte ſublatum & virtus ſua, & ſucceſſor prorſus diſpar ſummè deſiderabilem effecerunt. Huic tamen ad iuſtum laudis cumulum id videtur defuiſſe, quòd partim ne ſibi ad pios iuuandos aditum præſtrueret ſi verã religionem apertè profiteretur, partim vana quadã expectatione deluſus,eo luto ex quo erutos omnes optabat,penitus extricare ſeſe quũ diu neglexiſſet, poſtea volẽs id præſtare nõ potuit.Sed ecquis illius memoriam non celebrarit,qui,vt aliis conſuleret, ſeipſum tamdiu penè neglexit? Addatur autẽ hoc quoque fatali cuidam ipſius decori,quòd,vt ex antiquiſſimo numiſmate apparuit, ſummũ illum omnium Philoſophorum principem Ariſtotelem ſic ore toto retulit, vt alterius ex altero imago expreſſa videri poſſet: ſorte tamen in eo diſpari,quod(vt de pietate taceam) quæ deambulans Ariſtoteles in vmbra porticus diſſeruit, Hoſpitalius no-


ſter reipſa exercuit. Sic itaque nos illius aliquando cum Ariſtotelea comparatam imaginem deſcripſimus.

Talis Ariſtoteles oculos atque ora ferebas,
Sculptoris docta nunc rediuiue manu.
Pars autem illa tui melior, melioribus olim
Expreſſa in tabulis, nec peritura manet.
Sed quid opus ſculptíſve fuit ſcriptíſve tabellis?
En viuo in Xenio viuis Ariſtoteles.

Deinde ſic illi parentauimus.

Preſidio natum patriæ, patriæque ſalutem
Vitæ anteponentem ſuæ,
Quæ maleſana ſibi, tibi ſummè ingrata, Michael,
Acciret vt ſibi aduenam,
Gallia te clauo amouit, tibi, naufrag a mille
Parentat, ecce, cladibus.





IVLIVS CÆSAR
SCALIGER.



IVLIVS CÆSAR SCALIGER.

IVLIVM Cæſarem Scaligerum, ex illa vetuſtiſſima nobiliſſimáque Scaligerorum familia, Veronæ totiuſque illius tractus Domina ſuperſtitem, abſit vt indictum prætereamus: auorum nobilitatem armorum virtute partam, poſtquàm potentiorũ vi & iniuriis ceſſiſſet, incomparabilis ingenii opibus facilè penſantem: criticum grammaticum acerrimum, poëtam excellentem, philoſophum eruditiſſimum, alterum in medicina Aeſculapiũ, & quidẽ (dictu penè incredibile) hæc omnia quũ ætatis iuuenilis parte in armis conſumpta, ſerius ſeſe literarum ſtudiis dedidiſſet, tũ ingenii extra omnẽ aleam poſiti præſtátia, tum indefatigabili labore, quamuis aduerſante valetudine, conſequutũ: atque adeò (ne quid ipſius felicitati deeſſet) doctiſſimorum liberorum, Syluii ac Ioſephi, huius quidem certè ſummè admirabili tum eruditione tum iudicio præditi, parentem: cui denique non Agenni modo ciuitas, vbi domiciliũ illi medicinam facienti ſuà virtus poſuit, ſed Aquitania penè ipſa (piis ipſius domo tanquam hoſpitio vtentibus, eóque viciſſim ſua illos auctoritate pro viribus, quantumuis aſperis temporibus, adiuuante) veræ pietatis inſtaurationem magna ex parte debet. Quieſcite igitur in CHRISTO pii manes: qui faxit vt penes Scaligerorum familiam ſicut olim armorum, ita nunc eruditionis & pietatis gloria quàm diutiſſimè permaneat.

MELIOR VOLMARIVS.





MELIOR VOLMARIVS, ROTVILLENSIS, IVRIS CIVILIS ET GRÆCARVM LITERARVM IN ACADEMIA TVBINGENSI PROFESSOR.

MELIOREM Volmarium(sic enim eius nomen, quũ antea Melchior vocaretur, vir doctissimus, & eius in academia Tubingẽsi collega, Ioachimus Camerarius probitatẽ hominis admiratus, emolliit) genuit Rotuilla ciuitas Heluetiis cõfęderata, puerũ aluit Berna, bonis literis imbuit Lutetia, eundémque mox græca latináque facundia excellentem est admirata, vt & Aurelia, & Biturigum ciuitas: vbi, Margaretæ Valesiæ Nauarrorum Reginæ ac Biturigũ Ducissæ stipendiis, vtramque linguam profitens, simúlque Andrææ Alciati, iurisconsultorũ ętatis nostræ facile Principis iudicio, legum doctor creatus, domum ipsius bonis ac piis quibusque frequentantibus, inter quos Ioannẽ quoque Caluinum non puduit pro gręcæ linguæ præceptore Volmarium agnoscere, quum priuatam quoque scholam ingenuis & selectę indolis pueris aliquot aperuisset, hoc est consequutus vt nemo erudiendæ iuuentuti magis idoneus, nemo plures bonæ frugis discipulos aluisse videretur: maiores multò fructus inde collectura Gallia, nisi partim sęuities aduersus pios recrudescens, partim Vlrichi ducis Wirtẽbergensis eum inuitantis auctoritas, illum Tubingam anno Domini millesimo quingẽtesimo tricesimo quinto euocasset. Ibi verò annos amplius viginti ius ciuile & Græcos etiam authores maxima cum laude interpretatus, tandémque rude donatus, quum suam. Margaretæ

vxoris patriam, familiam transtulisset, vitam finiit, postquàm aliquot menses ex paralysi decubuisset, eôdem etiam die vxore ex animi ægritudine defuncta, vt simul elati eodẽ tumulo cõderentur quos sanctus amor totos 27 minimùm annos cõiũxerat. Fuit autẽ vir iste omnib⁹ tum corporis tũ animi dotibus excellens, ac præsertim eximia in pauperes munificentia insignis, & ab omni ambitione tã remotus, vt, quanuis Græcè & latinè scribendo excelleret, nihil tamen prætervnicam perelegãtem præfationem grammaticæ græcæ Demetrii Chalcondylæ præpositam ediderit: quem ego à pueritia vnicum præceptorem nactus, & viuum ceu parentem alterum semper colui, & mortuum vnà cum ipsius vxore sic deploraui.

Coniugii exemplum rarum certúmque beati,
Spectate cuncti coniuges.
Una dies nobis Meliorem sustulit, vna
Et Margaritam sustulit.
Sic vno quos vita thoro coniunxerat, vno
Mors vna tumulo condidit:
Una ambos donec reddat lux vnius olim
Beatitatis compotes.

IN EOSDEM.

Mi Melior, quo nec melior nec doctior vllus
Nostrum beauit seculum,
Tu ne iaces, mutíque taces sub more sepulcri?
Et Beza stat, Beza loquitur?

Stat

Stat certè & loquitur: ſed cui nec viuere dulce,
Nec dulce poſthac ſit loqui:
Verùm dulce mori fuerit, tecúmque ſepulcri
Vno latêre ſub ſpecu.
Nanque iacent tecum Charites, iacet ipſa venuſtas,
Et omnis Aonidum chorus.

IN EOSDEM.

Quum tumulo lateat Melior Volmarius iſto,
Cui Margarita adeſt comes,
Eſt illi cur inuideas, Mauſole, diúque
Celebrata pyramidum ſtrues.
Nánque nihil melius Meliore, nec India quicquam
Fert Margarita carius.

Obiit Iſnæ anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimoprimo, anno ætatis ſexageſimo-quarto.

IACOBVS FABER.





IACOBVS FABER, GALLVS, STAPVLENSIS, SORBONICVS THEOLOGVS.

O Vere admirabilem dei prouidentiã. Quis enim homun culi vnius opera barbariem, nobilissimæ totius orbis Academiæ tot iam annos securè incubantem, detrudi posse existimasset? Præstitit hoc tamen non minima ex parte primus ætate nostra Iacobus hic Faber, neque genere insignis, neque patria celebrandus, (Stapulis nimirũ ignobili Picardiæ prouinciæ portu) sed eruditione, pietate, & animi generositate nobilissimus, licet, quod magis mireris, in ipsa fœdissima barbarie educatus. Hic ille est igitur qui tum voce, tũ scriptis eruditissimis, pro sophistica veram Peripateticorũ logicen, & quatuor mathematicarum disciplinarum studia in Academia Parisiensi restituit: ac deinceps noui Testamenti vulgatæ translationis emendationem, & purioris religionis instauratione͂ fortiter aggressus, tantam barbarorum quorundam matæologorum tunc Sorbonicum collegium dehonestantium, indignationem incurrit, vt voluntaria secessione vix illorum manus cruentas effugerit. Seruauit illum tamen tum innocentia, tum vel maximè illius heroinæ Margaretæ Valesiæ Nauarrorum Reginæ apud fratrem Franciscum Regem intercessio, in cuius postea ciuitate Aquitanica Neraco, ad extremam senectutem, summa cum pietatis & incredibilis modestiæ laude, quietam vitam transegit: hoc etiam à Deo consequutus, vt sicut olim ex Isocratis schola optimi quique oratores, sic ex Stapulensis auditorio præstantissimi viri plurimi prodierint.




IOANNES MERCERVS, GALLVS, OCCITANVS, HEBRAICARVM LITERARVM IN ACADEMIA PARISIENSI REGIVS PROFESSOR.





IOANNES MERCERVS, GALLVS, OCCITANVS, HEBRAICARVM LITERARVM IN ACADEMIA PARISIENSI PROFESSOR.

IOANNES Mercerus apud Occitanas honesto loco natus, quum vtramque linguam adhuc adolescēs didicisset, & eousque in iuris ciuilis cognitione profecisset, vt Harmenopuli πρόχειρον quod vocát, è græco latinū faceret, mutato cōsilio, simulatque Vatablū Hebræa Lutetiæ docentem audiuisset, tanto animi ardore studium illius linguæ est amplexatus, vt illo è viuis sublato, dignus vnus videretur qui tanto viro in illius professione succederet. Hîc verò quantum sese præstiterit, adiuncto ad quatuor linguarum exactam cognitionem, summámque diligentiam, iudicio longè acerrimo, doctissimæ ipsius prælectiones partim iam editæ, partim deinceps edendæ satis superque testantur. Accedebant autem ad hanc eruditionem summum pietatis studiū, candidum ingenium, modestia singularis, vita prorsus inculpabilis, adeò vt feruente ciuilibus ob religionem bellis Gallia, quanuis sacros libros non modò Grammaticè, sed etiam Christianè explicaret, saluum tamen illum & inuiolabilem amabiles ipsius mores fortiter in suo munere perseuerantem præstiterint, & ex eius vnius penè schola prodiisse constet, quicunque in Galliis hodie paulò felicius hebraissant. Repetitis verò bellis Venetias ornatissimū quendam virum sequutus, ibíque Hebræorum doctissimis admirationi habitus, quum ad stationem suam reuertens per Occitaniam iter faceret intempestiua planè morte sublatus, maximum sui desiderium doctis piísque omnibus reliquit.


ROBERTVS STEPHANVS PA-
RISIENSIS, REGIVS TY-
POGRAPHVS.

ROBERTVS STEPHANVS, PARISIENSIS, REGIVS TYPOGRAPHVS.

SI diuinum meritò censetur illud characterum inuentum quorum ope absentes compellamus, mortui etiam ipsi loquuntur, vis illa denique temporis omnia cõsumentis infringitur: cui potius quàm eidem Optimo Maximo Deo compendium illud scribendi penè incredibile acceptũ feremus, quod Typographicen appellant? Sicut igitur vituperatione maxima digni sũt qui tanto Dei munere, vel ad bona deprauãda, vel ad ea publicanda quæ potius nunquam extitisse oportuit, abutuntur: ita summam laudem merentur qui suam operam, in arte tam laudabili támque necessaria, strenuè simul & syncerè conferunt. Eiusmodi sanè fuit Venetiis, patrũ memoria, diligẽs simul & eruditus ille Aldus Manutius Romanus, adeò quidem vt summum in hac arte gradum assequutus videretur. Eius vestigia Basileæ præsertim & Ioannes Frobenius & alii aliquot sequuti sunt, quibus res literaria plurimum debet. Sed quanto illi cæteros antecelluerunt, tanto maiorem tibi, Roberte Stephane, superiores omnes longè latéque supergresso gloriam tribuendam esse vel ipsa ftemens inuidia cõfitetur. Nam vt alii tecum nonnulli de librorũ quorundam excusorum elegantia & venustate certent, nemo tamen vel in operosissimis libris tecum in emendationis fide ac diligentia fuerit comparandus. Tibi linguam Hebræam magnopere illustratam: tibi Græcorum characterum summam elegantiam: tibi partim in lucem reuocatos, partim fœlicissimè restitutos, tũ Græcos tum Latinos scriptores plurimos: tibi denique infinita quadam industria & inexhaustis laboribus ex omniũ classicorum auctorum penu depromptum latinæ linguæ Thesaurum debemus. Sed hęc tua præcipua laus est, quòd non inanis gloriæ, non lucri cupidus, officinam tuam sa-

cris præſertim excudendis Bibliis conſecraſti : quo in opere toties recudendo, emendando, modiſque omnibus illuſtrando, teipſum quoque ſuperaſti. Nemo igitur tibi ſuſcepta cũ Matæologis certamina, nemo ſtramineũ illud ſimulachrum exprobret, in quod illi qui te viuum vſtulare non potuerunt, omnem ſuam rabiem effuderunt : ſed hinc potius omnes quæ tua in illis oppugnandis animi magnitudo, quæ in propugnãda veritate conſtantia fuerit, animaduertant: quum cæteris rebus omnibus conſcientiæ tranquillitate antepoſita, ſolum etiam vltrò, ingrata relicta patria, verteris, in priſtino inſtituto iuuandæ rei literariæ ac præſertim Eccleſiæ perſeuerás, donec annum agens vitæ L V I, anno Domini 1559, ad meliorem vitam die Septembris ſeptima demigrares, ad cuius tumulum hos verſiculos cecinimus.

Τὰς ποτ᾽ Ἰουδαίης τε καὶ Ἑλλάδος, Αὐσονίης τε
 (Φεῦ, φεῦ) τὰς Μούσας δεῖν᾽ ἀπελαυνομένας,
Λουκετίῃ μέσσῃ Στέφανος ξεινίσσατο δῖος,
 Ὁ Στέφανος, πάντων χαλκογράφων στέφανος.
Εἰσόκε μισοκάλων ἐθελοντὴς πλήθεσιν ἀνδρῶν
 Εἶξας, πουλυετῆ οἷς πολέμησε χρόνον,
Ὤχετο πατρίδα ἣν φεύγων, ἀχάριστον ἐοῦσαν,
 Γαίας τ᾽ ἀλλοδαπῆς γαῖαν ἄμειψεν ἑήν·
Κἀκεῖ χαλκοβατῆ κούραις δόμον ἐννέα δείμας,
 Εἰς μακάρων τελέως ὄλβιος ἦκε δόμους.
Αὐτὰρ ἀποπταμένου πτῶμα ξείνοιο λαβοῦσαι,
 Πλυνάσαί τ᾽ ἰδίοις δάκρυσιν Ἀονίδες;
Ἐννέα τ᾽ ἀμφὶ νέκυν ξένον ἤματα κωκύσασαι,
 Τῇ δεκάτῃ χλοερῷ θάψαν ἐνὶ πεδίῳ.
Ὧς ἀμάραντον ἀεὶ καὶ πάντα ἐς ἤματα ζῶντα,
 Χαλκογράφων θάλλειν τὸν Στέφανον στέφανον.


CLEMENS MAROTVS.





CLEMENS MAROTVS, CADVRCENSIS, GALLICVS POETA.

CLEMENTEM Marotũ citrà vllã linguarũ vel artiũ cognitionẽ, rara & excellẽte quadam ingenii felicitate Gallos omnes poëtas priores ſuperantem, idcirco placuit tantis viris adiungere, quòd religionis cauſa bis exul in Pſalterii triẽte gallicis rythmis exprimẽdo vtiliſſimam, æternáque memoria dignam operam Eccleſiis nauarit, quanuis (vt qui in aula, peſſima pietatis & honeſtatis magiſtra, vitam ferè omnem conſumpſiſſet) mores parum Chriſtianos ne in extrema quidem ætate emendarit: Taurini, Pedemontani præfecti Regii fauore tutus, circiter annum vitæ ſexageſimum mortuus.



IACOBVS PAVANAS, BO-
LONIENSIS.
I. PAVAN.




IACOBVS PAVANAS, BOLONIENSIS.

AGE nunc ad ipsos veros verbi diuini ministros, eosdémque Martyres accedamus. Gulielmus Briçonetus, nobili in primis familia Parisiis ortus, & Meldarum Episcopus, quæ ciuitas vnius diei itinere ab vrbe distat, quum cœpisset in Galliis quoque CHRISTI Euãgelium allatis Luteri libris illucescere, primus ausus est, concionandi munere in sua diocesi monachis mendicantibus interdicto, anno CHRISTI 1523, tum ipsemet, nouo prorsus exemplo, veritatem annuntiare, tum per adscitos ex Iacobi Fabri Stapulensis schola doctos quosdam Theologos promulgandam curare: tanti operis laudem proculdubio cæteris prærepturus, nisi partim crucis statim oblatæ terrore perculsus, partim à nonnullis quibus nimium tribuebat dementatus, turpi palinodia gloriam hanc omnem ipse sibi inuidisset. Sed ô factũ bene! Tantùm enim abfuit vt aberrantem pastorem oues sequerentur, vt contrà Iacobus quidem Pauanas, Bolonia, Picardiæ ciuitate celebri, ortus, eorum vnus quorum opera vsus ille initio fuerat, crudeliter Lutetiæ anno Domini 1525 vstulatus, protomartyris ibi nomen ac palmã retulerit: ex grege verò ipso alii cõstantia veri sui pastoris confirmati, nullis minis, nulláque suppliciorum acerbitate territi, quanuis quatuordecim martyribus anno Domini 1546, die Octobris sexto, vno eodémque igne crudelissimè crematis, ad hoc vsque tem-

pus fortissimè in veræ fidei professione perseuerarint: alii verò vi tempestatis huc & illuc disiecti prima Metensis, Aureliensis, Syluanectensis, Albiniacensis Ecclesiarum fundamenta iecerint: eò admirabiliore Dei virtute quòd mechanicos omnes illos, pannorum videlicet textores, fuisse constat, tam bonarum artium & peregrinarum linguarum prorsus imperitos, quàm in sacrorum librorum lectione ad miraculum vsque exercitatos. Sic quò magis videtur interiisse veritas eò gloriosius viuit.




Zz.ij.



IOANNES CLERICVS, GALLVS,
MELDENSIS, ECCLESIÆ
METENSIS PRIMVS IN-
STAVRATOR.



IOANNES CLERICVS, GALLVS, MELDENSIS, ECCLESIÆ METENSIS PRIMVS INSTAVRATOR.

HVIVS Ioannis Clerici artificium fuit lanam pectere, in quo dictum illud CHRISTI Domini nostri reipsa fuit confirmatum, gratiam agentis patri quòd veram illam sapientiã, potentibus, & doctis celatam, vilibus & abiectis patefecisset. Hic igitur animosæ fidei plenus, quam partim ex Episcopi Briçoneti concionibus, partim ex gallicè vtcunque tum versis Bibliis, & aliis pauculis libellis diligẽter lectis didicerat, apud suos Meldenses, quòd affixa in summo templo papisticis indulgentiis scheda, Papam Antichristum vocasset, virgis cæsus, quum sese Metas anno Domini 1523 recepisset, & inter suos idem artificium exercentes prima futuræ insignis Ecclesiæ fundamenta, Apostoli apud Corinthios exemplum sequutus, iecisset: tandem peculiari quodam, vt exitus docuit, diuini Spiritus afflatu impulsus, noctu extra vrbem euersis in sacello quodã, quo tota ciuitas Metensium erat postiidie concursura, idolis, manè apud vrbis portam deprehensus, captus, & eôdem penè momẽto damnatus: quo crudeliore pœna est affectus, (altero videlicet pugno truncatus, naso candentibus forcipibus abrepto, iisdémque brachio vtroque, ipsísque mammis crudelissimè perustis) tãdem flammis subiectis vstulatus, eo gloriosiorem victoriam tulit, quũ inter hæc tormenta ipsi crudelitati insultãs, & illud Dauidis altissima voce recitans, Idola gentium sunt argentum & aurum opus manum hominum, tanta constantia tũ aduersariis territis, tum piis magnopere confirmatis, feliciter ad Dominum migraret.


LVDOVICVS BERQVI-
NVS, ATTREBAS.
L.BERQVIN.



LVDOVICVS BERQVINVS ATTREBAS.

IN Ludouico Berquino Attrebate, quem verè poſſumus εὐγενῆ ſimul & ἔξοχον appellare, Gallia fortaſſis alterum eſſet Luterum nacta, ſi qualem iſte Saxonum ducem, talem hic Franciſcum primum eius nominis Galliarum Regem eſſet expertus. Nec enim ei vel doctrinæ, vel promouendæ veritatis ſtudium defuit: adfuit autem animi tāta generoſitas, vt maximè omniū tunc metuēdos crabrones in ipſis eorū cauis, Bedam videlicet & à Quercu (de quibus ſcripſerat procul illos cōfigens Eraſmus, Lutetiæ Betam ſapere & Quercum concionari) Matæologorum eius ſeculi principes, in ipſo eorum ſterquilinio ſit auſus non modò vtcunque laceſſere, ſed impietatis etiam accuſatos non vnius anni certamine tum voce tum ſcriptis ſtrenuè exercere. Sed tunc quidem, vt poſtea ſæpe, (CHRISTO nimirum non niſi ſub cruce in Galliis triumphaturo) damnata in Berquino veritate, quum delecti iudices exurenda ipſius ſcripta ipſomet cernente & præterea perpetuis carceribus, excepta Regis venia, ipſum coërcendū pronuntiaſſent: at ego, inquit ille, mortem ſubire quàm veritatis damnationem vel tacitus approbare malim. Sequuta igitur vt in contumacem ſeueriore ſententia, ſtrangulatus, ac deinceps crematus Berquinus, qua conſtantia ſcribere & loqui conſueuerat, eâdem mortē perpeſſus, verè de aduerſariis qui victores videbantur, iudicum ſententia veluti cælitus reſciſſa, triumphauit: frugibus nocte poſt interitum illius proxima (qui fuit vndecimus dies Nouembris anno Domini 1529) in tota Gallia frigore peruſtis, & grauiſſima tum fame tum etiam peſte conſequuta.




IOANNES CADVRCVS, OC-
CITANVS, LIMO-
XIENSIS.





IOANNES CADVRCVS, OCCITANVS, LIMOXIENSIS.

IOANNEM Cadurcum Limoxiis, non ignobili Occitaniæ oppido, natum, ſicut iura humana docentem admirata eſt Tholoſa, ſic ius diuinum aſſerentem eſt abominata: vſque adeò graſſata ſuperſtitione, vt quũ vtriuſque iuris vnus & idem ſit & auctor & præcipuus finis, nullos tamẽ Euangelica veritas infeſtiores & pertinaciores iam pridẽ hoſtes habuerit, quàm eos qui ſe ius ſuum cuique tribuere gloriantur. Cadurcum igitur, quũ legum humanarum explicãdarum peritia eſſet aliquandiu tutata, tandem anno Domini 1532, in aliquot piorũ hominũ cœtu, Bacchanalia, quæ in Epiphaniæ feſto celebrari pſeudeccleſiæ Romanæ more conſueuerunt, auſum liberius & redarguere & emendare, ſenatus Tholoſanus ſimul penè in carceres abreptum, & vitæ veniá, ſi modò palinodiam in ſchola publica vel leuiſſimè teſtaretur, recuſantem, damnatum, minimè tamen inultum cremauit: ſiquidem ex pyra, quaſi ex pulpito, habita diuiniſſima concione, veritatem quam ſuo ipſius ſanguine ſanciebat, ſic aſſeruit, vt quum in eam longè frequentiſſimam Academiam ex omnibus Galliæ partibus confluere maximus ſtudioſorum numerus cõſueuerit, non modò Tholoſæ, verùm etiam in vniuerſa Gallia purum verbi Dei ſemen ſparſiſſe meritò videatur.


ALEXANDER CANVS, GAL-
LVS, EBROI-
CENSIS.



ALEXANDER CANVS, GALLVS, EBROICENSIS.

ALEXANDRVM Canum, ex Dominicano Christianum factum, sicut amplius cognoscendæ veritatis desiderium in Sabaudiam ad Gulielmum Farellum audiendum pertraxit: ita eiusdem propagandæ incredibile studium in Galliam reduxit. Lugdunum igitur veniens, ibíque piorum aliquot fratrum rogatu, quum aliquot conciones priuatim habuisset, mox in vincula cõiectus, damnatus, & Lutetiã, quò prouocarat, abductus, qua animi fortitudine veritatem Euangelii promulgare cœperat, anno Domini 1534 gloriosissimi martyrii palmam tulit. Et hæc quidem instauratæ Lugdunensis Ecclesiæ felicia primordia fuerunt.



IOANNES MASSO, GALLVS, ANDEGAVENSIS, EIVSDEM ECCLESIÆ PASTOR.





IOANNES MASSO, GALLVS, ANDEGAVENSIS, EIVSDEM ECCLESIÆ PASTOR.

QVIBVS te ſatis dignis celebrauero laudibus Ioannes Maſſo, cui in ipſa adoleſcentia, annum videlicet viceſimumſecundum agenti, diuinitùs datum eſt, amplis ſpretis opibus, & paternis tum precibus tum minis inflexibili, opus illud ingens, & nullis humanis viribus præſtandum aggredi ſimul & conficere? Quantum enim illud fuit, in media Lutetia, id eſt, intra ipſam piorum vſtrinam atque in ipſo ſuperſtitionis penetrali, erecto Chriſti vexillo, ſignum vniuerſæ Galliæ regno abolendæ falſæ religionis dare? Sed & tibi peculiariter Andegauenſes tui, itidémque Trecenſes conſtabilitum apud ſe CHRISTI regnum debent. Quibus maximis ſanctiſſimíſque laboribus ne martyrii corona deeſſet, ecce te domum, vel ad tuam ſtationem potius paulò ante crudeliſſimam illam carnificinam Lutetia reuerſum, & in hortulo ſecurè meditabandum, ſceleratus latro Monſorellus, generis ſui nobilitate infinitis ſceleribus contaminata, interfecit, paulò poſt eius ipſius miniſtris, cuius auctoritatem quaſi imperato ſceleri prætexuit, iuſtas paulò poſt pœnas daturus. Quid igitur egiſti ſcelerate? fores nimirum æternæ vitæ illi aperuiſti, quem voluiſti perditum, vt in exitium tuis ſceleribus dignum teipſum vltrò præcipitem dares. Cæſus eſt autem vir iſte præſtantiſſimus annum agens vitæ triceſimum nonum, ab hoc graſſatore Lutetia diſpoſitis equis ad patrandas piorum cædes excurrente, anno Domini CIↃ. IↃ. LXXII: menſe Septembri, anno Domini CIↃ. IↃ. LV, Eccleſiæ Pariſienſis poſt aliquot ſecula inſtauratæ primus paſtor inſtitutus.



IOANNES BORDELLVS,
MATTHÆVS VERMELLIVS,
PETRVS BVRDO.






IOANNES BORDELLVS, MATTHÆVS VERMELLIVS, PETRVS BVRDO.

QVÆ regio in terris (inquit ille apud poëtam) nostri non plena laboris? At hoc liceat Gallis Martyribus sine fictione vsurpare, quorum sanguine Oceanus ipse Americanus rubuit. Huius sceleris auctor fuit Nicolaus quidam Villagagno, ex Rhodiorũ equitum ordine, homo tum vasti corporis mole, tum ingenii feritate Polyphemum illum Cyclopem planè referens: qui quum Gasparis Colignii, magni Franciæ Thalassiarchæ, apud regem Henricum secundum gratiosissimi intercessione binas instructas naues & aliquid pecuniæ obtinuisset, & cum iis ad Brasiliæ littus, fluuiíque, quem Ienarum vocăt, ostiũ, gradibus trans æquinoctialẽ tribus ab antarctico polo distás appulisset: simulato vrbis ibi condendæ, & veræ religionis, cui fauere Amiralium norat, constituendæ studio, missis etiam ad Geneuensem Ecclesiam literis obnixè petens vt ad se vnà cum ministris duobus aliquot fratres pii, seminarium Ecclesiæ futuri, transmitterentur, facilè scilicet quod petebat, non paucis sese vltrò tătæ rei nouitate incensis offerĕtibus, impetrauit. Mittũtur igitur ministri duo, Petrus Richerius & Gulielmus Carterius, spectatæ vtérque tum doctrinæ tum pietatis, quibus sese non pauci ex diuersis Galliæ partibus vnà cum vxoribus & liberis adiunxerunt, & eos quidem post difficilem multorum mensium nauigationem tandem appulsos initio Villagagno quàm benignissimè excipit: Geneuensibus per literas gratias agit ingentes: Amiralio quiduis in posterum pollicetur: Ecclesiam pastorum

consilio instituit: denique magna quadam spe complet omniũ animos, adeò vt in Gallia de frequentissima piorum colonia eò deducenda deliberaretur. Sed ecce Villagagno Henricum Regem istarum rerũ nuntiis offensum intelligẽs, quod diu texerat apertè prodit, & quidquid rectè constitutum erat paulatim euertens, alios miserabili seruitute premit, aliis dira minitatur, palam denique sæuam & horribilem tyrannidem exercet. Secedunt itaque nonnulli, & opportunitatem cuiusdã Brittonicæ nauis nacti, reditum in Galliam parant, quò vix tamen, inaudita fame tolerata, coria etiam ipsa mandere coacti, semianimes peruenerunt. Erãt autem ii omnino sedecim, ex quorum numero quatuor de reditu desperantes vix octodecim miliaribus confectis in continentem, ac deinceps ad Villagagnonem regressi, tantũ abest vt immanem illum Cyclopem rationibus aut precibus vllis ad misericordiam flectere potuerint, vt contrà compedibus constrictos, & in teterrimum carcerem coniectos fidei suæ rationem ab illis exegerit. Respondit constanter suo & sociorum nomine Ioannes Bordellus, quæ confessio in gallica Martyrum historia legitur. Quid plura? tres ex illis in veritatis confessione perseuerantes, quarto nonnihil vacillante, Oceano mergendos curat, quorum beatam memoriam hoc loco celebrandam putaui. Et hæc quidem anno Domini 1558. vertente contigerunt, quum in Americam Villagagno die 15. Iulii, anno 1555. appulisset, vnde ipse postea desperatis rebus, in Galliam reuersus, & scriptis ineptissimis veritatem aggressus oppugnare, inglorius & pro insano habitus, miseram tandem vitam, igne sacro illũ inuadente, finiuit.

Bb. j.


ANNAS BVRGIVS, GALLVS, AR-
VERNVS IN SVPREMÆ CV-
RIÆ PARISIENSIS CON
SILIARIVS.
A. BVRGIVS.



ANNAS BVRGIVS, GALLVS, ARVERNVS, IN SVPREMA CVRIA PARISIENSI CONSILIARIVS.

HIc ille est Annas Burgius, cuius patruus sub Francisco primo Rege Cancellariatu, summo togato munere, functus est: qui ius ciuile primùm maxima cũ eruditionis laude in academia Aurelienſi professus, ac deinceps vltrò in Parisienſẽ curiá adſcitus, ibique integerrimi diligentiſſimíque iudicis famam adeptus, tandẽ que occultis adhuc piorũ cœtibus adiunctus, quum Hẽrico, eius nominis secundo, Rege pro tribunali sedente totóque audiente Senatu, sententiam de pœnis in eos quos hereticos vocabant statuendis, rogatus, liberrimè de vera religione, iustáque conuocanda synodo, decima Iunii anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimonono disseruisset, Rege mox per Cardinalem Lotharingum eò vsque commoto, vt neglecto maiorũ more, illum mox in carceres trahi iuberet, tandem post durissimam capitiuitatem, ad varia iudicum subsellia pertractus, edita preclara Christianæ fidei confessione, vicesima prima Decembris, eôdẽ anno vertente, hæreseos damnatus, primùm quidem strãgulatus ac deinceps crematus, piam animam Christo reddidit: Rege quidẽ ipso (alioqui per se non malo) tribus post illum in carcerem coniectum hebdomadibus, in medio nuptiarum sororis apparatu, in ludicro hastatorum certamine, eius ipsius manu à quo prehẽdi Burgium iusserat, lethaliter vulnerato, & vndecim post diebus mortuo: Senatu verò sese (paucorum quorundam culpa) ab eo die quo Burgium damnauit, longè maxima libertatis & auctoritatis antiquæ parte (vt plerique existimarunt) vltro abdicante.

Bb. ij.

AVGVSTINVS MARLORATVS.





AVGVSTINVS MARLORATVS, LOTHARINGVS, ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ PASTOR.

AVGVSTINVM Marloratű in pſeudAuguſtinianorum mendicantium cloacam vix octennem, agnatorű aſtu ipſius bonis inhiantiű abreptű, ſingularis quędam numinis prouidentia ex illo cœno mirabiliter erutum, in Eccleſiam Chriſtianam, magnum eius futurű ornamentum, traduxit. Linguarum enim & purioris Theologiæ ſtudiis deditum tandem puduit pigris alendis ventribus, ipſius eruditione ac labore ad turpe lucrum abutentibus, operam ſuam diutius commodare. Itaque poſtquam Biturigibus, Pictauis, & Andegauis Euangelium, quantum quidem cucullato licebat, promulgaſſet, Lauſanam, Bernenſis Reip. academiam, venit: vbi quietem ſtudiis ſuis opportunam & ſui exercendi facultatem nactus, Viuiacẽſis videlicet Eccleſiæ haud procul extremo lacu Lemano deſignatus, vix credibile eſt quantum & legendo & ſcribendo profecerit, id quod pręclari ipſius tum in Geneſin tum in Eſaiam, tum in omnes noui Teſtamenti libros commentarii, perpetuo quodam nexu ex optimis quibuſque recentioribus interpretibus mirabiliter contexti, demonſtrant. Inde verò Rotomagű accitus, Eccleſiam illam populoſiſſimã tunc primum poſt multa ſecula renaſcentẽ, tã ſanctè ſimul ac prudenter erudiit, vt ſua illum probitas tutű ab omnibus quantumuis ſæuientibus aduerſariis præſtiterit. Deinceps autẽ poſtquàm Piſſiacenæ diſputationi interfuiſſet, exorto paulò poſt ciuili bello, ipſáque Roto-

magēsi ciuitate post durissimā obsidionem expugnata, captus, quanuis in tanta crudelissimorum aduersariorū urba nullus ipsum accusaret, imò etiam ex aduersariis plurimi saluum cuperēt, nihilominus tamen, vt nihil ad extremam sæuitiam deesset, Anna Monmorātio Cōnestabili, & Francisco Duce Guisio sic iubētibus, vnà cum tribus aliis præcipuæ dignitatis ciuibus suspendio innocentem vitam finiens, æternam hereditatem adiit, XXX. Octobris, anno Domini CIↃ.IↃ.LXII, annos natus LVI.





ΠΟΛΥΑΝΔΡΙ-
ΟΝ ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ
FORTISSIMIS VAL-
DENSIBVS OMNIS ÆTATIS TVM
VIRIS TVM FOEMI-
NIS MARTY-
RIBVS.





VALDENSES ab Alpium anfractibus, in quos sese iam pridem receperunt, appellatos, liceat mihi veteris Christianæ purioris Ecclesiæ semen vocare, vt pote quos constet verè admirabili Dei prouidentia, neque illis infinitis tempestatibus, quibus est per tot secula Christianus orbis concussus, & Occidens tandem à pseud-EpiscopoRomano miserè oppressus, neque aduersus illos propriè excitatis horribilibus persecutionibus eò potuisse adduci, vt idolomaniæ & Romanæ tyrannidi assentirentur. Eorum igitur alii sunt pauperes Lugdunenses vocati, quibus Ioannes quidam Lugdunēsis mercator præfuisse existimatur, addito etiam illi cognomento à Valdo, quem perperam nonnulli Valdensium fratrum, quasi sectæ cuiusdam, auctorem faciunt, quùm ipse potius, quod inter Valdenses celebris esset ac haberetur, cognomentum inde acceperit: alii in alpinis saltibus constiterunt: alii sunt Albigenses vocati, quòd in eas Occitaniæ Galliæ partes secessissent: alii traiecta Italia in Apulia & Calabria sedes posuerunt: alii denique in Morauiam vsque secesserunt: qui omnes (exceptis Albigensibus lōgissimo tandem bello partim attritis partim expulsis) frustra repugnante Satana etiamnum hodie tum doctrina tum innocentissimæ vitæ exemplis florentes Ecclesias habent. Ac de cæteris quidem fortassis aliâs, quum nunc sit à nobis de solis Alpinis sermo institutus. Eorum igitur alii Sabaudiæ Duci subsunt, alii Galliæ Regi. Vtrosque incredibile est dictu quibus & quot modis perdere certatim, instigante Pontifice Romano, Princeps illi studuerint, tutante tamen eos, tum aduersus prædones paupertate, tum aduersus infinitas calumnias, testatissima vitæ innocentia. Obso-

leuerat tamen inter eos paulatim doctrinæ puritas, sed pietatis studium minimè refrixerat. Itaque quum de puriore Christianismo in Heluetia vicinísque regionibus annuntiato cognouissent, duos ex suis pastoribus quos Barbas (id est patruos) vocant, Bernam ad Bertholdum Hallerum, Basilæam ad Oecolampadium, Argentinam ad Bucerum & Capitonem, Neocomum denique duos alios ad Gulielmũ Farellum miserunt, consilium de instaurandis ipsorum Ecclesiis petituros. Horum vnus MARTINVS GONINVS, Ecclesiæ Angronianæ pastor, Gratianopoli in reditu cum literis deprehensus, & veritatem constanter professus, nocte intempesta submersus (qui enim malè agunt lucem fugiunt) martyrii palmam tulit. Id verò tantum abest vt Valdenses perterrefecerit, vt contrà auctis animis, non suas modò & Calabrensium fratrum Ecclesias, priorum temporũ veluti rubigine quadam obsitas, repurgarint, sed etiam (seculis omnibus memorabili in omnes Gallias Ecclesias beneficio) quanuis inopes, & vndique turbulentissimis illis temporibus Satana ipsos adoriente, primam illam Gallicam ex hebræis Bibliorum interpretationem, auctore quidem Petro Roberto hebrçæ linguæ peritissimo, adiutore verò Ioanne Caluino absolutam, suis sumptibus Neocomi, anno Domini 1535, excudendam curarint: vt quòd hodie Biblia gallicè leguntur, (quãquam paulatim pòstea exactiore cura cum hebręis collata) Valdensium Ecclesiis acceptum meritò feratur. Hæc igitur ferre quum Antichristiani non possent, eò vsque tandem illos homicida ille spiritus impulit, vt, auctore Ioanne Miniero senatus Aquensis Præside, senatusconsulto iniquissimo facto, & Rege Francisco Cardinalis Turnonii calumniis circumuento, mense Aprili, anno CIↃ. IↃ. XLV, peditum equitúmque copiis aduersus innocentissimos & inermes homi-

nes

nes eductis,nullo neque ætatis,neque sexus discrimine promiscuè in quosuis sæuierint,atque adeò nō ædificiis, nō arboribus ipsis pepercerint: addito interdicto sub capitis pœna,si quis miserè vagātibus & famelicis vel tantillū opis præberet:sic igitur ea strages est edita,qua nullam vnquam immaniorem ne inter barbaros quidem extitisse constat.Seruauit tamen Dominus suorum reliquias,vsque adeò fœcundas,vt nunc rursus & religionis puritate & omnium Christianarum virtutum exemplis insignes Ecclesias habeāt,Deo quoque variis pœnis Minierum illum & alios nō paucos,quibus homines pepercerant, horribiliter vlto. Nec ab eo tempore aliud præter minas sunt experti,donec vnus ex eorum ministris Georgius Varalius Taurini interceptus,ibidem pulcerrima edita cōfessione, anno Domini 1558, die Decēbris penultima cremaretur.Restituta verò Duci Philberto Emanueli Sabaudia, &si pontifice Romano Ducem alioqui ad Valdenses turbandos minime propensum,assiduis clamoribus cogēte,bello sunt appetiti, eóque feruente,vici S. Germani pastor crudelissimè fuit Pignerolis vstulatus: tamē ipsis quidem pacem tolerabilibus conditionibus,manente præsertim integro Euangelii ministerio ,consequutis , Duce verò datam ipsis fidem sanctè obseruante, felix illius motus fuisse finis meritò videtur.

[illegible] multis [illegible] que [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] vag [illegible] [illegible] vel con-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et cadit [illegible] qui
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quidem
[illegible] [illegible] Domino [illegible]
[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] vitam [illegible]
[illegible] [illegible] Deo quoque [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] paucos, quibus homines [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]. Nec ab eo tempore aliud
præter mihi [illegible] [illegible], donec vnus excessum mini-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] Domini 1 5 [illegible] die [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Phili-
berto Emanueli Sabaudia, Sil [illegible] pontifice Romano Du-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] minime proper-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] S. Germani [illegible] [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] vero [illegible] ip is [illegible]
dem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] videtur.

Cc ij.



CHRISTIANISMI IN ANGLIA RESTITVTI INSTAVRATORES ET ASSERTORES CONSTANTISSIMI.



ΠΟΛΥΑΝΔΡΙΟΝ ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ

FORTISSIMIS ANGLIS, OMNIVM ORDINVM, OMNISQ. ÆTATIS, TVM VIRIS TVM FOEMINIS, CHRISTI MARTYRIBVS.



CVVM à Ioannis vſque Wiclefi temporibus, veritatis ſemen ſubinde, ſanguine martyrum aliquorum tum virorum tum fœminarum, rigatum emerſiſſet: ſub Eduardo, beatæ memoriæ rege, quàm diligentiſſimè excultum, Mariæ tandem temporibus, quo ardentius, præeunte Cardinali apoſtata Reginaldo Polo, illud radicitus extirpare reſtituti pſeud-Epiſcopi ſunt conati, tantò fœcundius, quaſi certatim ad martyrium concurrentibus omnium ordinũ hominibus effloruit: quorũ aliquos ſufficiat nominaſſe. Huius igitur pulcerrimi triũphi quaſi choragus fuit IOANNES ROGERIVS, qui Cantabrigiæ bonis literis imbutus, indéque Tyndallũ ac Couerdallum, (vtrúmque pietate & eruditione inſignẽ, ac illum quidem in primis Anglica bibliorum verſione celebrẽ, & martyrio tandem, anno Domini 1530, per Louaniẽſes theologos Wiluordi coronatum) in Brabãtiam profugientes ſequutus, vxore ibi ducta, Witebergã venit, ibique Germanicæ linguæ vſque adeò peritus euaſit, vt etiam Euãgelii miniſterio ſit defunctus: donec, Eduardo Rege Chriſtianiſmum in Anglia inſtaurante, ipſe quoque in patriam reuerſus, auctore magno illo Nicolao Ridlæo Epiſcopo Londinenſi, profeſſor Theologiæ atque adeò concionator in æde S. Pauli deſignaretur. Succedente verò poſt Eduardum fratrem chriſtianum Maria chriſtianiſmo inimiciſſima, & ſeueriſſimis edictis Euangelicum miniſterium inhibẽte, perſtitit nihilominus in ſuo munere Rogerius, donec in carcerẽ tractus, qua cõſtantia Chriſti veritatem annuntiarat, eãdem illam moriens, veluti ianua martyrii cæteris patefacta, Londini IIII. Februarii, anno Domini CIↃ. IↃ. LVII, ſanciuit. Hunc in eadẽ cauſa, paríque prorſus conſtantia munere concionandi, tum in oppido quod Northamptonum vocant, tum in ipſa vrbe Londinenſi, fortiſſimè defunctus, vir eruditiſſimus LAVRENTIVS SVNDERSIVS, ſequutus quarto poſt Rogeriũ die, VIII

videlicet Februarii Couentriam Londino ductus, pulcherrimum de morte triumphum tulit: vt eiusdẽ mensis die 22, ROLANDVS TÆLORVS, Hadleïensis Ecclesiæ in Suffolciæ prouincia minister: itemque biduo post GEORGIVS MARCHÆVS Ecclesiæ Lõgthoniensis pastor, vtérque suum gregem, ille quidem Hadleïæ vrbis presentẽ pio suo pastori illachrymãtem, iste verò grauissimis ex carcere literis scriptis, in quo totos ferè octo mẽses excruciatus est, ad constantiã cohortatus. Sed quinque præterea martyrũ inter cæteros admirabilia certamina fuerunt, IOANNIS videlicet BRADFORTI in Ecclesia Londinensi ministri (cuius aduersus pseud-Episcopos acerrimæ disputationes extant) Londini X. Iulii, anno Domini CIↃ. IↃ. LV, vnà cum octodecim annorum adolescente IOANNE LIEFA cremati: ROBERTI SAMVELIS Ecclesiæ Bartholtensis in Suffolciæ prouincia pastoris, postquam crudelissima quæque, ac præsertim horribilem famẽ in carcere Norduicensi, decernente pseud-Episcopo Nordmiẽsi perpessus esset, tandem ibidem II. Septembris eodem anno CIↃ. IↃ. LV. combusti: IOANNIS PHILPOTI equestris familiæ & Vintoniensis Ecclesiæ, viuẽte Eduardo Rege, Archidiaconi, cuius quæ quantáque fuerit tum eruditio, tum pietas, ex eo constat quòd illi fauẽte nobilitate, nemo neque sæpius repetitis disputationibus fuerit acrius oppugnatus, neque solidius, tũ ex ipso Dei verbo, tũ ex patrũ scriptis aduersarios refutarit. Itaque fuit & ipse viuus Lõdini anno Domini CIↃ. IↃ. LVI, annũ agens duntaxat XLIIII, crematus. Idem annus duorum præterea diuersæ conditionis, THOMÆ videlicet VIDLEI & GEORGII EGLI, martyrio celebris fuit: quorũ ille Kyrbeïẽsis Ecclesiæ parochus, quum aduersus Mariana edicta munere suo fungi non desisteret, captus & à Bonero Londinensi pseud-Episcopo tandem etiam blãditiarum genere illectus, subscripsit quidem contrariis erroribus, sed eôdem penè momento

quum

quum repetitam à ſcriba ſchedam abiurationis diſcerpſiſſet, ab Epiſcopo crudeliter verberat⁹, & viceſima die Ianuarii, anno Domini 1556, Londini crudeliter crematus, tum quæ ſit ipſorum etiã electorum imbecillitas, tum quę in illis quoque collapſis rurſum erigendis Dei Opt. Max. benignitas ſimul oſtendit: alter verò Eglus nomine, artificio ſutor, admirabili zelo ductus, quòd Eccleſias paſtoribus deſtitutas videret, percurrere illas ipſe, &, prout egregiis Dei donis pollebat, ſigillatim etiã quoſcunque poterat conſolari & confirmare prius non deſtitit quàm palàm proſcriptus, amplíſque præmiis ei propoſitis qui deprehenſum ſiſteret, captus tandem & quaſi violatæ Maieſtatis Regiæ cõuictus, ſemiviuus exẽteratus & membratim diſcerptus martyrii palmam ferret. Liceat denique mihi ſuperioribus exemplis duplex aliud adiungere: vnum adoleſcentis & genere & virtute nobilis GVLIELMI HVNTERI, quem pro Chriſti nomine anno Domini 1555. cremandum, & pſalmum octuageſimum quartum concinentem pater & mater cohortantes ſunt ad rogum vſque comitati, vetere illo Machabęorum fratrum exemplo renouato, hoc tamen excepto, quod illa quidẽ fuit ſuis liberis in ipſa quoque morte ſocia, iſtis verò, quanuis libenter filio commorituris, peperciſſe in pœnam lentiorem videtur aduerſariorum clementia: quos tamen ſuperſtites filio manere Deus voluit, vt ſpectatius & diuturnius extaret tantæ virtutis exemplum: alterum IOANNIS HVLLERII Eccleſiæ Padamenſis in Cantabrigienſi ditione paſtoris, eodem anno martyrii palmam conſequuti, cuius literas quæ extant ſub mortem vnà cum precibus adiunctis conſcriptæ vtinam omnes ii legant & meditentur qui gloriæ Dei zelum humana prudentia temperandum eſſe ſomniant. Sed tempus eſt vt ad celebriores etiã alios accedamus.

THOMAS CRAMMERVS.






THOMAS CRAMMERVS, ANGLVS, CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, ANGLIÆ PRIMAS.

O Ter felix quinquertium, veterum Martyrum Episcoporum obsoletam memoriam renouans! O beatam quoque tantis viris Angliam, nisi gentis decus immanitas quorundam penè totam aboleuisset! Horum primus age commemoretur Thomas ille Crammerus, Cantuariẽsis sub Eduardo sexto Rege Archiepiscopus, veræ religionis instaurator atque propugnator fortissimus: quem quum Mariæ Reginæ, Marii illius crudelitatẽ verè referentibus aut etiã superantibus temporibus abreptum, & miserrima biẽnii captiuitate aliquatenus fractũ, pseud-Episcopi accusatores simul & iudices ad ignis pœnã dãnassent, At tu (inquit) dextra quæ damnatæ schædæ, metu mortis, subscripsisti, pœnas huius facinoris luito: moxque receptis animis, vltróque conscẽsa pyra, dextram intrepidus altissimè sublatam, flammísque iniectam, tantisper dum penè tota, illæso maxima ex parte reliquo corpore, cremaretur, immotam mediis in flammis tenuit: minus certè memorabili futura tanti viri constantia, nisi ex admissa culpa creuisset. Liceat autem hîc mihi Basilii magni verba in Barleami, fortissimi in eadẽ causa sub Diocletiano Martyris, haud dissimile factum commemorare. Flamma (inquit ille) & Martyris dextra inter se commissæ luctabantur, sed penes dextram nouo quodam luctationis arte stetit victoria, flamma quidem per mediam manum sese effun-

dente,dextra verò ſemper rigidè ad luctam intenſa. O manũ ignibus ipſis in certamine obſtinatiorem!ô manũ igni cedere indocilẽ! ô ignem manu vinci edoctum!Ferrum igitur reſolutum ignis tyrannidi ſuccũbit, ac ignis potẽtiæ cedit,à quo ſeſe quoque ſuperari lapidum durities quantunuis renitens fatetur : ſed vis tamen illa flammæ quantunuis ſeſe intendentis,rigidam Martyris dextram minimè inflexit,vt meritò propterea Martyr apud Dominum clamare potuerit,Corripuiſti manum dexteram meam,tuóque me conſilio deduxiſti , & glorioſè me aſſumpſiſti.Et hic quidem fuit Crammeri ſexageſimum octauum annum agentis triũphus Londini actus, viceſima prima Martii,anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.






HVGO
LATIMERVS,
WOLCESTRENSIS EPI-
SCOPVS, ET NICOLAVS RI-
DLEVS, LONDINEN-
SIS EPISCO-
PVS.





HVGO LATIMERVS, WOLCESTRENSIS EPISCOPVS, ET NICOLAVS RIDLEVS, LONDINENSIS EPISCOPVS.

PRÆIERANT Crammero, eo ipſo loco & ob eandem cauſam crudeliſſimè vſtulati duo conſtantiſſimi martyres Epiſcopi, Hugo Latimerus octuagenario maior, ex Cantabrigienſi academia ad Epiſcopatum meritò aſcitus, & Nicolaus Ridleus, Londinenſis Epiſcopus, tum genere tum omni virtute nobilis: ille quidem planè ceu Polycarpus alter, ſiue ſupplicii cauſam & genus, ſiue ætatem, & ſermones in morte habitos ſpectemus: hic verò cum Ignatio planè comparandus, ſi præſertim eius ſcriptum de Cœna Domini, breue quidem illud ſed Apoſtolico planè ſpiritu dictatum expendatur: niſi fortè Reginaldum Polum Cardinalem, & Stephanum Gardinerum Vintonienſem pſeud-Epiſcopũ, & Bonerum itidẽ pſeud-Epiſcopum Londinenſem, minus crudeles beſtias fuiſſe arbitremur, quàm quæ Ignatium vorarunt.


IOANNES HOPPERVS, GLOCE-
STRENSIS EPISCOPVS, ET
ROBERTVS FERRORVS,
SANCTI DAVIDIS
EPISCOPVS.



IOANNES HOPPERVS, GLOCESTRENSIS EPISCOPVS, ET ROBERTVS FERRORVS, SANCTI DAVIDIS EPISCOPVS.

AT illi tuæ diuini prorſus animi fortitudini commemorandæ, Ioannes Hoppere, quæ tandem voces ſuffecerint? quem ob veram religionem ſub Eduardo Rege fortiter & verbis & inculpatæ vitæ exemplis aſſertam, Marianis temporibus arreptum, non carcerum ſqualor, non ſæuiſſimæ pœnæ grauitas, non procerum & amicorum malè ſibi & tibi conſulentium preces & lacrymæ, non iamiam pyrã conſcenſuro propoſitũ ob oculos Reginæ diploma, quo tum vita tum maximi honores abiuraturo concedebantur, vel tantillum commouerunt, quominus, vt fortiſſimus ille Gordius Baſilio magno tantopere celebratus, ignem vltrò ſubires, ibíque (dictu penè incredibile) tribus horæ quadrantibus immotus in mediis flammis perſtans, inteſtinis etiam ipſis in ignem èffuſis, alteróque decidente in flammas brachio, confirmatis tãtæ conſtantiæ exẽplo Gloceſtrenſibus tuis, quos anteà fidus Epiſcopus ſyncera doctrina paueras, ipſa denique ſeſe victam fatente hoſtium immanitate, Chriſto tuo adiungereris. Sunt autem hæc acta Gloceſtriæ decima quarta Februarii, anno Domini millesimo quingẽteſimo quinquageſimo quinto. Hũc verò vt in functione pari, ſic in fide, inuictaque conſtantia ſocius, Robertus Ferrorus, ſancti Dauidis Epiſcopus, duodecimo poſt die ſequutus eſt, Carmardis, Dioceſis ſuæ ciuitate, nec minus crudeliter vſtulatus, nec minus fortiter Chriſtum profeſſus.



RESTITVTI IN SCOTIA CHRISTIANISMI INSTAVRATORES PRÆCIPVI.

IOANNES CNOXVS.





IOANNES CNOXVS, SCOTVS, GIFFORDIENSIS.

ETSI distincta fuerunt semper Angliæ & Scotiæ regna suis tũ finibus tum regibus, dixisse tantùm liceat fuisse nostra patrúmque memoria tum aduersus Christum initio consociata, tum ad Christum rursum mutuis operis adiuncta. Sicut autem illius aduersus veritatem conspirationis auctor quidem præcipuus fuit Romanus ille pontifex, administri verò Cardinales & pseud-Episcopi, totus ille denique pseudoclerus, ab illo haud secus quàm à suo numine dependens: sic ad ius illud suum recuperandum CHRISTVS fidos homines admirabili virtute instructos vtrobique excitauit. Ac de Anglis quidẽ dictum esto, à quibus ad Scotos transeũtibus primus occurrit magnus ille IOANNES CNOXVS, quem si Scotorum, in verò Dei cultu instaurando, velut Apostolum quendam dixero, dixisse me quod res est existimabo, & sequẽs vera ipsius vitæ narratio testabitur. Cnoxus igitur (vt manifestè appareat totum hoc admirabile Domini opus esse) ad Ioannis illius Maioris, celeberrimi inter Sophistas nominis, veluti pedes in Sanctandreæ oppido educatus, atque adeò sacerdos factus, apertáque celebri schola, quum iã videretur illo suo præceptore nihilo inferior Sophista futurus, lucem tamẽ in tenebris & sibi & aliis accẽdit. Siquidem Hieronymi & Augustini libros ibi nactus, ex eorũ scriptis, non fastidire modò, sed etiam redarguere multa vsque adeò liberè cœpit, Edimburgum præsertim regiam ciuitatem euocatus, vt Hamestonum vnicum tũc piorum asylum perfugere cogeretur. Ibi verò tandem


liberrima edita cõfessione, prçmium illud à Dauide Betono Archiepiscopo Sanctandreano,& quidem Cardinali, Scotiæ primate tulit, quale ab hoc hominum genere piis persolui solet, hæreseos damnatus absẽs, sacerdotio exutus, per insidias etiam, appositis percussoribus, trucidandus, nisi Dei prouidentia commendatum illum Langudrio præcipuæ nobilitatis viro conseruasset. Sequuti sunt postea tumultus in Scotia maximi, cæso ab inimicis Cardinali, arce Sanctandreana à Gallis expugnata, intercepto quoque Cnoxo, qui contra pseudepiscoporum expectationem liberatus, Veruicum vrbem in Angliæ & Scotiæ finibus sitam quum venisset, & in certamẽ cũ illius ciuitatis pseud-Episcopo descẽdisset, vtroque ad supremum Angliæ senatum reiecto, (tum autem Eduardus regnare cœperat) tantum effecit vt victoria penes veritatem stante, damnaretur quidem falsæ religionis pseudepiscopus, ipsum verò tum pietas tum diligentia magnopere commendaret. Inde Nouocastrũ ac deinceps Londinum ad Regem accito quum Episcopatus quidam offerretur, tantum abest vt illum receperit, vt etiam in totam illam verè Satanicam potestatem grauiter sit inuectus, vt quę diuino iure nullo nitatur, ac ne ex veteribus quidem canonibus administretur: qua in re, & si non obtinuit (quod si & in Anglia & alibi factũ esset, id est si causa illa Tyrannidis omnis Ecclesiastica præcipua & primaria esset sublata, longè alia facies Ecclesiarum esset) cõsciẽtiam tamẽ suam singulari cũ christianæ modestiæ exemplo liberauit. Excepit hæc tempora tempestas illa horribilis quæ Cnoxum, inter ceteros Geneuam vsque expulit, vbi aliquot annos vnà cum reliquis Anglis exulibus maxima cum omnium virtutũ laude versatus, tandem consiliis omnibus cum Ioanne Caluino communicatis, in patriam anno Domini 1559. reuersus, incredibile est quanta diuini planè spiritus virtu

te fretus Euangeliū annuntiarit, vſque adeò viciſſim ipſius pietati ac diligētiæ fauente numine, vt velut ipſius cōſpectum ne idolis quidē ferētibus profligata Idololatria, non verā tātùm doctrinā, ſed etiam verā & ad diuini verbi normam exactā diſciplinā paſſim tum verbis tū reipſa ſtatuerit. Neque verò fuerunt breuis alicuius tēporis illi labores, Satana modis omnibus hoc opus impediente, ſed tredecim totos annos Edimburgi athleta Chriſti fortiſſimè depugnauit: donec corporis imbecillitate victus, anno Domini 1572, V. Idus Nouēbris, haud ſecus quàm olim Eradium Auguſtinus, ita Cnoxus legitimis Eccleſiæ ſuffragiis ſibi, non in vlla gradus pſeud-Epiſcopatus tyrānide, cui meritò fuit inimiciſſimus, ſed in Euangelico miniſterio vnà cum reliquis collegis & presbyteris æquo prorſus iure adminiſtrando, Ioannem Lauſonium, ſpectatiſſimæ tum doctrinæ tum integritatis hominem, ſucceſſorem deſignatū, maxima cū gratulatione amplexus, Eccleſiæ valediceret: vita ad vigeſimumquartum vſque diem Decembris domi in lectulo tam piè & ſanctè producta, vt integerrima quinquaginta ſeptem annorum vita beatiſſimo exitu veluti coronata, meritò ambigatur meliúſne vixerit an beatius vitam finierit, ſingulare quidem certe feliciſſimæ tum vitæ, tum mortis exemplum cunctis reliquerit.




PATRICIVS HA-
MELTO, SCO-
TVS.





PATRICIVS HAMELTO. SCOTVS.


SEVIT quidem Cnoxus verbi diuini ſemen in Scotia quam latiſſimè, ſed ſolo iam antea cæde nonnullorum martyrum ſubacto, inter quos primum locũ tenet PATRICIVS HAMELTO, vt qui Hameltonũ familia Regiũ quoque ſanguinem attingente natus, quũ literarum ſtudio feruens in Germaniam quoque veniſſet, tantúmque ibi in bonarum artium ac linguarum cognitione profeciſſet, vt Marpurgi, nobili Lantgrauiorum Haſſiæ Academia, maxima cum eruditionis laude, ſit illas aliquandiu profeſſus, poſteà in patriam rediens, CHRISTI cruce cunctis vitæ cõmodis antepoſita, anno Domini 1530, à Dauide Betono Archiepiſcopo Sanctandreano, egregiam operam Romanæ beſtiæ nauante, hæreſeos damnatus, regium Hameltonum genus à ſuis gentilibus poſtea contaminatum, pretioſiſſima illa martyrii corona nobilitauit.


ADAMVS VALLA-
CVS, SCO-
TVS.



ADAMVS VALLACVS, SCOTVS.

SExto post Patriciũ anno, quinque martyres velut ex illius cineribus exorti, ex variis ordinibus, eiusdẽ Cardinalis opera cremati sunt Edimburgi, duo videlicet Dominicani monachi, sacerdos vnus, Canonicus quidã, vnus denique ex nobilitate, omine quodam felici futurum vt tandem in Scotia Christus omnium ordinum homines ad se adscisceret. Sed insigne fuit in primis Adami Vallaci martyrium, in eadem vrbe anno Domini 1559. mensis Iulii die decimaseptima, publicè in magno consessu auditi, damnati, cremati, tantò maiore cum fructu, quantò plures illum liberè Christum asserentẽ, & aduersarios solis conuitiis & minis pugnantes verbo diuino refellentem, constantissimè denique morientem audierunt, oculisque suis conspexerunt.


ALEXANDER ALESIVS,
SCOTVS, LIPSIÆ THEO-
LOGIÆ PRO-
FESSOR.
A. ALESIVS.



ALEXANDER ALESIVS, SCOTVS, LIPSIÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR.

ALIVD eximium Scotiæ decus in patria futurus erat Alexander Alesius, nisi Deus illũ prius ex hac vita euocasset, quàm Scotia, receptis oculis, Euangelii lumen penitus amplecteretur. Expulsus igitur Scotia, venit in Angliam, vbi Thomæ Cromellii, maxima tum authoritate apud Henricum VIII. Regem pollentis, beneuolentia fretus, tum priuatim, tum etiam in publico omnium Episcoporum tum fortè à Rege, Romani pontificis propter nouas nuptias inimico, conuocatorũ consessu, fortissimè, quãuis non eo prorsus quem boni optabant successu, veritatem asseruit. Sed quod Scotia & Anglia neglexerant arripuit auidissimè Saxonia, vt quæ exceptum Alesium ad mortem vsque fouerit, doctis omnibus charũ, magno illi pręsertim Philippo Melanchthoni tam probatum, vt illum sibi præ cæteris ad pacandam Norimbergensem Ecclesiam Osiandri deliriis turbatam collegá adscisceret, solidè videlicet ac syncerè veritatem aduersus sophistas tueri cõsuetum, quod ipsius quoque scripta, pauca quidem illa, sed eruditionis & iudicii plena, demonstrant.



EVANGELII APVD BELGAS RESTITVTI INSTAVRATORES PRÆCIPVI.



ΠΟΛΥΑΝΔΡΙ-
ΟΝ ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ
FORTISSIMIS BELGIS OMNIVM ORDINVM, OMNISQ. ÆTATIS, TVM VIRIS TVM FOEMINIS, CHRISTI MARTYRIBVS.






NVSQVAM certè noſtra patrúmque memoria Satã maiore nixu veritatem oppùgnauit, nec fortius etiam eſt repulſus, quàm in Belgica regione, ſicut teterrimorum hæreticorum, ita conſtantiſſimorum martyrũ tum virorum tum fœminarum feraciſſima. Initium autem putioris in illis regionibus inſtaurandi Chriſtianiſmi à duobus ordinis Auguſtiniani fratribus cœpiſſe creditur Bruxellis, HENRICO VOEZIO & IOANNE ESCHIO, vtróque ibidem anno Domini 1523. cremato. Antuerpiæ verò anno conſequente NICOLAVS quidam, Melſenſis parochus (qui locus vno miliari ab vrbe diſtat) apertè Chriſtum annuntians, eóque nomine Antuerpiam pertractus, ibíque ſubmerſus, prima illius Eccleſiæ fundamenta ſanguine ſuo feliciter aſperſit. Eodem tempore in Hollandia IOANNES PISTORIVS Wordenſis, antea ſacrificus, quum Chriſtum incredibili ſucceſſu toto biennio annuntiaſſet, Hagæ tãdẽ à Louanienſibus matæologis hæreſeos damnatus anno Domini 1525, Septembris die 15, carmen illud inſigne TE DEVM LAVDAMVS, quod Ambroſio & Auguſtino tribuitur, alta voce canens, ſuccinentibus etiam illi duobus captiuis quos in carcere Chriſto lucrifecerat, martyrii palmam tulit. Et iam quò crudelius omni pœnarum genere, tum in viros tũ in fœminas, quas ex edicto ſolenni viuas defodiebant, vndique ſæuiebatur, eò copioſius ſanguis martyrum fœtificauerat, inter quos Duacienſis parochus qui-

dam PETRVS, & EGIDIVS TILMANVS Bruxellē ſis magnopere memorantur, quum Tornacenſes, miſſis Argentoratum nuntiis, quempiam ad ſe mitti poſtularũt, cuius conſilio & authoritate apud ipſos Eccleſia cõſtitueretur. Tũ autem in Eccleſiæ Gallicæ miniſterio PETRVS BRVLIVS Lotharingus, ſpectatæ pietatis ac eruditionis homo, Iánni Caluino: primo illius paſtori ſuccesserat, quem vt maximè idoneum, Martini Buceri, & ipſius collegarum ſuffragiis delectum, Tornacenſes, anno Domini 1544, menſe Septembri exceperunt, eiusque conſilio tum paſtores, tum etiã preſbyteros & Diaconos, ritè & ex diuini verbi præſcripto conſtituerunt. Hoc exemplum pleriſque populis ac præſertim Inſulanis, Valentianẽſibus, Duacẽſibus, Attrebatenſibus ſequutis, quũ eo quoque profectus Brulius feliciter omnia diſpoſuiſſet, ac Tornacum regreſſus, Antuerpienſes viſere ac deinceps Argentinam ad ſuum gregem redire decreuiſſet, comperto ipſius reditu aduerſarii, clauſis vrbis portis, vndique illum perueſtigant. Fratres igitur illum haud aliter quàm olim Paulum Damaſceni per vrbis mœnia fune demittunt, ex quo dum ille ſeſe explicare conatur, ecce lapis ingens in illum decidens femur ipſi confringit: ex cuius vulneris dolore quum vociferaretur, à vigilibus captus, & in carcerem coniectus, verum illud Apoſtolicum dictum eſſe confirmauit, vinciri quidẽ ſeruos Dei, ſed minimè propterea vinctum eſſe Dei verbum. In carcere ſiquidem totos penè menſes quatuor captiuus, non modò fortiter Chriſti veritatem aduerſus matæologos aſſeruit, verùm etiam grauiſſimis plurimis literis tum Eccleſias Belgicas, tum etiam priuatim alios confirmauit, donec XIX Februarii, anno Domini. CIↃ. IↃ. XLV, quum Calendis Nouembris anno ſuperiore Captus eſſet, quò crudelius, lenta videlicet flamma, fuit vſtulatus, eò certiorem inuictæ conſtantię laudem tulit: Martyribus poſtea penè infinitis ex illius rogo exortis.




CHRISTIANISMI APVD POLONOS RESTITVTI INSTAVRATORES PRÆCIPVI.


IOANNES A LASCO,
POLONVS.



IOANNES A LASCO POLONVS.

IOANNEM à Lasco, Polonũ, nobilissima Lascorũ familia prognatum, heroica specie insitam animi generositatem præ se ferentem, multò magis pietas cũ insigni zelo coniuncta nobilitauit: quem, vt Christo liberè seruiret, patria vltrò relicta peregrinis variarum gentium eandem ob causam exulantibus adiunctum Germania vidit & Anglia: vnde quoque Marianis tẽporibus expulsos, & per inhospitas maris insulas oberrãtes illos iuuare, tum doctrina scriptis etiam testata, tum vitæ exemplo prius non destitit, quàm sedes illis aliquas nactus, & à patria paulatim resipiscẽte reuocatus ad suos tandem rediret. Ibi verò paulò post, promoto quantum potuit Christianismo, vitam hanc caducam cum altera illa sempiterna commutauit, morte quuis, si ætatẽ speãctes, satis matura, tamen quod ad Ecclesias attinet valdè intẽpestiua: sed in eo demùm ipsi valde opportuna, quòd Arrianismi, Tritheismi, & aliarum plurimarũ hæreseωn tẽpestates iam imminẽtes effugit. Nec tamen defuerũt qui veritatem aduersus illa teterrima monstra fortiter assererent: veluti Melius, Carolinus, Hellopæus, Thretius, Lasicius & alii, plenius, vt spero, à nobis aliquando commemorandi.



RENASCENTIS IN ITALIA PV-
RIORIS CHRISTIANISMI INSTAV-
RATORES PRÆCIPVI.

G


FANINVS, ITALVS, FAVENTINVS.
F. ITALVS.

FANINVS, ITALVS, FAVENTINVS.

SICVT olim Christus in domum vsque Neronis illius truculentissimæ belluæ, Apostolo teste, penetrauit: ita nostra quoque memoria in Italiam, alterius quæ illi successit nihilominus immanis bestiæ sedem, imo Romam ipsam vsque illius penetrale, peruenit: inde tandem etiam eum oris sui flatu depulsum, in stagnũ illud ignis & sulphurus præcipitem daturus. Præclaram autem hac in re operam nauarunt non illi tantùm quos supra commemorauimus, P. Martyr, Lacisius, Tremellius, Zanchus, Martinenghus, aliíque plurimi qui sponte exulantes, Rhœticas, Helueticas, Sabaudicas, Germanicas, Anglicas denique Ecclesias auxerunt, sed aliquot etiam insignes alii qui ad sanguinem vsque pro Christo constanter decertarunt. Eorum vnus ac ferè primus fuit Faninus quidam, Fauentia, vrbe ob artis figulinæ opera in Romania (quam hodie vocãt) celebri, natus: qui dum cæteri ciues terreis fingendis vasis occupantur, operi diuino in animis hominum sculpendo intẽtus, eoque nomine captus, postquàm vxoris & amicorum precibus eò vsque cessisset, vt veritatem eiuraret, mox facti pœnitentia ductus, non in patria modò, sed etiam vltrò citróque factum suum detestatus, Euangelium quacũque potuit occasione promulgauit. Captus igitur denuò in Ferrariæ vicinia, indéque Ferrariam perductus, quum totũ penè bienniũ ex carcere liberrimè maximóque cũ fructu veram religionem & verbis, & nonpaucis etiã Italicè scriptis libris esset professus, Iulio illo tertio Pontifice, homine perditissimo, qui Paulo tertio successit, mandante, Ferrariæ tertia ante diluculum hora strãgulatus, eodemque die circa meridiem crematus, martyrii palmam, quàm ipse sibi videri poterat inuidisse, recuperatam circiter annum 1552 tulit.




POMPONIVS ALGERVS,
ITALVS, NO-
LANVS.





POMPONIVS ALGERVS, ITALVS, NOLANVS.


QVæ ciuitas olim Paulinum illum inter veteres celeberrimum Episcopum habuit, eadem Pomponium Algerum ciuem, nostris temporibus, illo fortassis etiã excellẽtiorem tulit: qui quum annum ætatis duntaxat agens vicesimum quartum & in Patauina Academia studiorum causa versans, veram religionem priuatim inter nonnullos, diuinæ cuiusdam virtutis plenus, prędicare cœpisset, mox ad eius vrbis gubernatorem Venetum delatus, indéque Venetias primùm, ac deinceps Romam ipsam, postulante Paulo IIII. pontifice, Christóque veluti per mediam Italiam suum triumphantem athletam circumvehente perductus, ita sese modestè simul ac fortiter gessit, vt nemo fortassis ex omnibus temporum nostrorum Martyribus, solidius aut neruosius depromptis tum verbo Dei, tum ex ipso, quod vocant, Decreto, testimoniis, pseud-Ecclesiam illam Romanam in aliquot capitibus conuicerit: vera religione post verba, sanguine quoque suo, quò crudelius fuit vstulatus, eò gloriosius in ipsorũ non tam cocco quàm Christianorũ martyrum sanguine rubentium Cardinalium conspectu, constantissimè anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto sancita.


IOANNES LVDOVICVS
PASCALIS, PEDE-
MONTANVS.



IOANNES LVDOVICVS PASCALIS, PEDEMONTANVS.

PAscalis hic noster primis annis Sabaudo suo principi Niceę militans, ibique primùm de puriore Christianismo aliquid audiēs, de cęlesti militia cogitare cœpit. Itaque quum Geneuā primùm, ac deinceps Lausanam venisset, ita vtrobique sese tractando diuini verbi gladio, & fidis obseruandis ducibus exercuit, vt tandem etiam dignus qui ordines duceret haberetur. Rogantibus igitur Italicam Geneuensē Ecclesiam Valdensibus duorum Calabriæ oppidorum, Gardiæ videlicet & S. Sexti incolis, vt idoneum ad se quempiā pastorem mitterent, delectus omnium suffragiis Pascalis, quā uis eo ipso tempore virginem sibi despōdisset, vtroque tamen Christum rebus omnibus anteponente, rectà simul & ad Euangelium & ad martyriū contendit. Mox enim excito rumore Geneua quendam aduenisse, à Saluatore Spinella illarum vrbium Domino cum aliis accersitus, vltrò ad eum Fiscaulam, Calabriæ vicum, veniens, indeque post octo menses in carcere consumptos, Cosentiam, tertióque pòst mense Neapolim ac Romam tandem ipsam perductus, vix credibile est qua constantia, quamuis omni crudelitatis genere in carceribus vexatus, scriptis plurimis sanctissimísque literis, non suum modò gregem pauerit, sed etiam vxorem aliosque procul absentes amicos sit consolatus. In qua constātia perseuerans, tandem anno Domini 1560, die Septēbris 10, quartóque postquàm eò appulerat mense, è regione ipsius arcis quæ nūc S. Angeli vocatur, crematus, gloriosissima pro Christo morte, miseram hanc vitam cum illa beatissima commutauit.


OLYMPIA FVLVIA, MO-
RATA, ITALA, FER-
RARIENSIS.



OLYMPIA FVLVIA, MORATA, ITALA, FERRARIENSIS.

ABsit à me verò, Olimpia, vt te prætercam, quam & excellens illa & supra fœminæ sexum eminens tum in græcis tum in latinis eruditio, siue soluta oratione quidpiam scriberes, siue versus pangeres: & mores integerrimi: pietatis denique tantum studium, vt peregrinum hominem Germanum, pium alioqui & planè te dignum coniugem, quem in eas regiones vbi CHRISTVS purius ac liberius colitur sequereris, ambientibus certatim Italis anteposueris, immortalitati consecrarũt: cuius denique constantiam bellica nulla rabies, quũ capto direptóque Schuinfurto, coniugis charissimi patria, rebus omnibus amissis, vnicáque subucula tecto corpusculo, per Germaniam oberrares, ne tantillum quidem inflexit, quominus CHRISTO penitus adhæreres: à quo rursum præter omnem expectationem restitutum maritum nacta, Heydelbergam tandem veniens, diuturno morbo corpusculum opprimente, cum alacritate in verum illum Olympum, Olympia, ad quem toto vitæ cursu contenderas, annum agens duntaxat XXIX, subsequuturo mox Andrea Gronthero marito, demigrasti.



CHRISTIANISMI APVD HISPANOS RENASCENTIS INSTAVRATORES PRECIPVI.



ΠΟΛΥΑΝΔΡΙ-ΟΝ ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ

FORTISSIMIS OMNIVM ORDINVM, OMNISQ. ÆTATIS, TVM VIRIS TVM FOEMINIS, HISPANIS, CHRISTI MARTYRIBVS.





ET illi quidem duo à nobis commemorati extra Hispaniam pro CHRISTI nomine cæsi sunt. Hi verò de quibus sum dicturus, velut in ipso inferorum adyto, nẽpe Inquisitionis illius Hispanicæ penetrali, de Satana & morte gloriosissimè triumpharunt. Huius autem verè diuini operis quatuor præcipui administri fuerunt: Valdolidi quidem AVGVSTINVS CACALLA, quem in Germania Carolus quintus concionatorem habuerat, tãdem anno Domini 1559 mense Maio, ibidem crematus: Sybillæ verò, quam nunc Siuiliam vocant, IOANNES EGIDIVS, VARQVIAS, & CONSTANTINVS PONTIVS, omnes ex matæologis acerrimis constantes facti veritatis doctores, ac tandem etiam martyres, EGIDIO quidem post mortem cremato, VARQVIA in ipso Inquisitorũ certamine mortuo, CONSTANTINO denique, viro trium linguarum egregiè perito, & quo confessore, quẽ vocant, diu fuerat vsus Carolus quintus, Siuiliæ damnato & cremato. Horum autem sanctissimũ studium plurimùm adiuuerat IOANNES PIERIVS, & ipse Hispanus, qui quũ Geneuã venisset, vbi Hispanicã etiã Ecclesiã coëgit, plurimos hispanica lingua sacros libros edẽdos, & Siuiliã vsque transportandos curauit: homo eximia tum doctrina, tũ in primis probitate insignis,

qui poſtea Bleſis, celebri ad Ligerim ciuitate, ac demum apud Renatā Ferrariēſem Ducissam miniſterio functus, Lutetiæ tandē facultatibus ſuis omnibus ad hiſpanica excudenda Biblia legatis, ex calcudo deceſſit. His igitur illi libris adiuti, incredibile eſt quantopere paucis annis Euāgelium promouerint, donec, ſic ſtatuente Domino ſuos probare, deprehenſo, & in carceres cum iis qui ſupererant libris pertracto IVLIANO FERDINANDO, à quo Geneua fuerāt aſportati, viro corpore quidem tū exiguo, vt vulgo propterea PARVVS vocaretur, ſed animo verè ingenti prædito, horribilis illa tēpeſtas Valdolidi quidem non paucis, Siuiliæ verò circiter octingentis captis excitaretur: quorum plerique partim in carceribus mortui ſunt, fidiculis omníque tormentorum genere excruciati, partim variis diebus publicè magno, ſicut illic ſolent, apparatu damnati & cremati, nonullis imbecillioribus exceptis, & præter bonorum amiſſionē, quibus boni patres illi præcipuè inhiant, graui quoque ignominia notatis. Inter martyres autē, pręter illos quos commemoraui, iſti præcipuè conſtantia ſingulari Chriſtum ad extremum vſque halitum profeſſi celebrantur, quorum etiam nominibus, veluti pretioſiſſimis quibuſdā gemmis, hunc libellum exornandum putaui.

Viri pro Chriſti nomine cremati in vrbe Valdolidi, Menſe Maio, anno Domini 1559.

Franciſcus Biuerus, Doctoris Cacallæ frater, antea ſacrificus.
Antonius Pereſius, itidem antea ſacrificus Valentiæ.
Chriſtophorus Delcampius, Zamorencis.
Chriſtophorus Padilla, itidem Zamorencis.

Antonius Hesuellus, Torensis.
Franciscus Errenius, Pegnarandensis.

Fœminæ ibidem eodem anno & die eandem ob causam crematæ.

Leonoræ Biueræ pientissimæ mulieris, Cacallæ & Francisci Biuerorum matris, cadauer.
Constantia & Leonora Biueræ, eorundem sorores.
Catharina Romana.
Isabella à Strada,
Ioanna Velasqua, Pedrozenses.
Catharina Ortegua, Valdolidensis.

Siuiliæ verò itidem cremati anno Domini 1559. *die Septembris* 14.

Ioannes Poncius ex antiquissima & nobilissima comitũ Baïlensium familia.
Ioannes Consaluus, Siuiliensis concionator,
Ferdinandus Santiuanus, ludimagister.
Morzilius S. Isidori monachus.
Iulianus Ferdinandus, cognomente Paruus.
Christophorus Losadas, medicus.
Christophorus Auellamus, itidem S. Isidori monachus.

Fœminæ nobiles eodem anno & diæ crematæ.

Isabella Vaënia, cuius domus pijs omnibus patebat, idcirco etiam, eôdem Inquisitorum decreto, funditus euersa.

Maria Viroëza.
Cornelia.
Maria Bohorchia.
Franciſca Chaueza, ex ſanctæ Iſabellæ monaſterio.

Et de his quidem hactenus, tantiſperdum ii quibus hic meus libellus placuerit, meum hunc conatum adiuuerint.



IOANNES ENSINAS, SIVE
DRYANDER, HI-
SPANVS.






IOANNES ENSINAS, SIVE DRYANDER, HISPANVS.

IOANNES Dryander in ipſa vrbe Roma beſtiam illam ſingulari magnitudine animi aliquoties in priuatis cœtibus detegere & redarguere aggreſſus, quũ Ioannem Diaſium, quẽ CHRISTO lucrifecerat, & fratrem Franciſcum Dryandrum, à quibus in Germaniam euocabatur, inuiſere ſtatuiſſet, ab aliis quibuſdam Hiſpanis proditum, pontifex ipſe Cardinalibus ſuis ſtipatus quum videre & audire voluiſſet, ſuſtinere diutius ſanctá ipſius libertatem non potuit. Itaque ad vim conuerſus innocentiſſimum hominem cremandum anno Domini 1545. curauit, paulò ante videlicet quàm Alphonſus Diaſius adiũcto ipſi carnifice, ad fratrem Ioannem Diaſium interficiẽdum Roma in Germaniam ablegaretur. At tu Domine vſquequo?

IOANNES DIASIVS.






IOANNES DIASIVS, HISPANVS, CRVENTINVS.


HIc ille eſt Ioannes Diaſius Cruentiæ, regni Toletani ciuitate natus, qui à Ioanne Dryandro cognitione CHRISTI imbutus, & Geneuæ confirmatus, quum Argentinæ ſubſtitiſſet, ita ſeſe geſſit vt eũ quanuis exterum, & quidem Hiſpanum, nihilominus Argentinenſis reſpublica Martino Bucero ad comitia Ratiſponæ, religionis cõponendæ cauſa, anno Domini 1546 ineunte, indicta, legato adiungeret: vnde quum Neuburgum ſuperioris palatinatus vrbem, ad Danubium, veniſſet, procurante Petro Maluenda pontificiarum partium acerrimo ſimul & crudeliſſimo propugnatore, carnificis ab Alfonſo Diaſio Ioannis fratre, Romanæ curiæ aduocato, & ad hoc ipſum teterrimum facinus comparato, Neuburgum perducti manu, impacta in ſeminudi & ex lectulo ad ſalutandum fratrem prodeuntis caput, ſecuri proſtratus, Abelis à Caino interfecti exemplum renouauit: tam immani ſcelere, quanuis Auguſtæ Vindelicorum captis homicidis, non modò non vindicato, ſed etiam Romæ digno cui gratia referretur habito, vt quo ſpiritu ducantur Romani pontifices, amplius ambigi non poſſit.

EMBLEMA I.




Principium in tereti quæris quicunque figura,
Principium inuenies hîc vbi finis erit.
Sic Christum vero quisquis reuereris amore,
Quæ vitam hora tibi finiet, incipiet.

EMBLEMA II.



Cernis vt hæc medium cingat teres vndique punctum
Linea, & hinc spatio distet & inde pari?
Scilicet illa refert quod nos tegit vndique cælum,
Tellurem hoc punctum quod tenet ima notat.
Cur igitur doleas, quorsum dic, quæso, labores,
Tu patria pepulit quem pietatis amor?
Cælum si versus tendis, quocunque recedes,
Hinc spatio cælum cernis & inde pari.

EMBLEMA III.




Stare cubum in tereti cernis quicunque figura,
Hinc vitæ verum discito cautus iter.
Mores illa docet teretes, hic figere iussa
Te iubet immotos in statione gradus.

EMBLEMA IIII.



Aurea mendaci vates non vnicus ore
Vellera phrixeæ commemorauit ouis.
Nos te, Christe, agnum canimus. Nam diuite gestas
Tu verè veras vellere solus opes.

EMBLEMA V.



Scilicet incudem inſanit qui frangere duri
Conetur ictu mallei.
Et non inſanit Chriſto qui perdere ſacra
Se poſſe ſperet agmina?

EMBLEMA VI.



Phœnicem o, si vera ferunt, mors ipsa refingit,
Huic sit vt vnus aui vitaque morsque rogus.
Ite ô carnifices, Sanctorum sancta cremate
Corpora. quos vultis perdere flamma parit.

EMBLEMA VII.



Nil spectâsse dapes, nil deglutisse iuuabit,
Hæc nisi ventriculi cuncta calôre coquas.
Sic cœtus spectasse pios, diuinaque verba
Audisse attenta nil licet aure iuuat,
Hæc nisi percipiatque fides, imóque reposta
Pectore, diuino freta calore coquat.

EMBLEMA VIII.



Cernis vt in cælum fuerat quæ machina torta,
Fit iaculatori mors properata ſuo?
In ſanctos quicunque Dei ruis impie, ſeruos,
Conatus merces hæc manet vna tuos.

EMBLEMA IX.



Pinge globum tenui quem libratum vndique filo
Sustineat summi numinis alta manus,
Talis es vrbs Christi de nomine dicta beato,
Qua nil firmius est, mobiliusque nihil.

EMBLEMA X.



Qualis eques rapido nemorosa per auia cursu
Corruit, effreni præcipitatus equo,
Corpore tu quemcunque Deus vel mente beauit,
Talis es, ipsius te nisi frena regant.

EMBLEMA XI.



Quidquid edis quodcunque bibis, moriatur oportet,
Ut inde vita ſuppetat:
Et nos à Chriſti quòd vitam morte petamus,
Philoſophe rides impie?

EMBLEMA XII.



Ceu rutilis idem qui dißilit ignibus æther,
Fœcundas grauido pectore fundit aquas,
Vita fide sic Christus erit tibi viua receptus,
Spretus at hic idem mors tibi Christus erit.

EMBLEMA XIII.




Soluuntur compacta licet bene dolia, firmis
Constricta ni sint circulis.
Sic legum pœnis quæ non firmata tenetur,
Corruat oportet ciuitas.

EMBLEMA XIIII.




Sectantes velut vmbra fugit, fugientibuss instat,
Addita corporibus scilicet vmbra comes,
Sic fugit immeritæ captantes præmia laudis,
Demissis contra gloria iuncta comes.
Et tamen haud falso trutinata examine, quidnam
Laus hæc omnis erit? scilicet vmbra leuis.

EMBLEMA XV.



Iniuste partis opibus si fortè beatos
Putas auaros, falleris.
E potis auidè lymphis quis posse beari
Hydropicos existimet?

EMBLEMA XVI.




Libera ceu volucris, caueæ mox carcere clausa,
Libera confracto carcere rursus abit:
Liber homo natus, mortis dein clausus in antro,
Rursus abit Christo liber ad astra duce.

EMBLEMA XVII.



Tota viden' ventis expandens vela ſecundis,
Ut perit optato littore merſa ratis?
Hæc tu mente notes cui ſors aſpirat amica,
Hæc eadem ne te que vehit unda ruat.

EMBLEMA XVIII.



Obiectis ventos foribus, clausisque fenestris,
Estque etiam tota mos prohibere domo.
Ast aures, oculíque, hæ sunt vtrinque decebat
Quas Satanæ clausas opposuisse fores.

EMBLEMA XIX.



Adstricti glacie niti qui fluminis audet,
Haud rarò glacie dissiliente perit.
Hoc sapite exemplo istius quos commoda vitæ
Innumeris fallunt lubrica cuncta modis.

EMBLEMA XX.



Quod duro lima est ferro, meßique flagellum,
Auro quod ignis est rudi,
Hoc tibi, si sapias, crux est, licet aspera: quisquis
Cælum Deo petis duce.

EMBLEMA XXI.



Qualis quæ fuluo circumdata cernitur auro
Gemma nitens, radio ſplendidiore micat:
Talis formoſo ſplendens in corpore virtus,
Neſcio quod prodit conſpicienda decus.

EMBLEMA XXII.



Luna velut toto collustrans lumine terras,
Frustra allatrantes despicit alta canes:
Sic quisquis Christum allatrat Christíve ministros,
Index stultitiæ spernitor vsque suæ.

EMBLEMA XXIII.



Quis ſapere hunc credat ſeſe qui poſſe vetandis
Ventorum credat flatibus eſſe parem?
Stultior at quanto eſt ſeſe qui poſſe loquentis
Obſtruere inſanus numinis ora putet?

EMBLEMA XXIIII.



Tranquilli immotique prius velut æquoris vndas
Unica ventorum vis agitata ciet,
Sic mundum meretrix Romana. Hanc tollite, Reges,
Pacatus ſubitò (credite) mundus erit.

EMBLEMA XXV.



Cæſareos cineres quæ moles clauſerat olim,
Arx eſt Romano nunc ſacra Pontifici.
Quàm benè qui mortis nunc eſt mortalibus auctor,
Morti ſacratas obtinet iſte domos.

EMBLEMA XXVI.




Cernis vt hic cælum fœdo qui conſpuit ore,
Non cælum, immo ſuos conſpuit ipſe ſinus?
Et tu cælorum Domini contemptor, in illum
Non quot verba iacis, tot tibi probra vomis?

EMBLEMA XXVII.




Ludicra ridemus fabricantes tecta puellos,
Seu stipulis fartum si meditantur opus:
Quid melius plerique agitis, vanißima vitæ
Quos huius miseros noxia cura premit?

EMBLEMA XXVIIII.



Hi colubris colubri, criſtas tollente Ceraſte,
Conferti pariter, ſinuoſa volumina quorum
Dextra ſecat, gladium cæli quæ librat ab arce,
Quos ſignent rogitas? ſatis & re & nomine notos,
Quos Satan, armauit iuſti quem numinis ira
Terrarum exitio, funeſto exciuit ab orco.
Aſt hominum tandem ſortem miſeratus acerbam
Exerto verbi Chriſtus nunc diſſecat enſe.

EMBLEMA XXIX.



Adde alas: aures, & caudam, & cornua ceruo
Tollito: depictum ſic tibi tempus erit.
Tempore nanque nihil currit velocius vno,
Nec ſemel elapſum quo reuocetur habet.

EMBLEMA XXX.



Æra graui cunctos veluti campana sonore,
Ipsa licet penitus sint sibi surda, cient:
Sic es recta docens alios, peruersa sequute,
Quique aliis sapiens, non sapis ipse tibi.

EMBLEMA XXXI.



Ceu vacuum facilis vas est implere laboris,
Quod mero est plenum velle replere furor:
Sic cuius diuina animum sapientia cœpit,
Et vitæ inuasit quem melioris amor.
Aut vacuam humanis, homo, mentem sensibus adfer:
Stultitiæ plenus vel remaneto tuæ.



Viperei exedunt ceu matris viſcera fœtus,
Sic quos ipſa ſuo fouit alumna ſinu,
Roditur heu! nimium ſanctorum Eccleſia multis,
At non euentu nec ratione pari.
Vipera nam ſalua infelix prole interit, illis
Hæc contra extinctis non peritura manet.

EMBLEMA XXXIII.



Incauto quicunque rosas collegerit vngue,
Vix vnquam illæso legerit vngue rosas:
Hoc sapite exemplo locupletes, plurima nanque
Hisce latent vestris spicula mixta rosis.

EMBLEMA XXXIIII.



Stercora quod porcis, asinis quod carduus, hoc est
Barbaries nostris asinis porcisque Magistris.

EMBLEMA XXXV.



En Satan accensis hinc inde vt torribus vrgens.,
Sic tandem absumi spumantem hunc stultus ahenum
Posse putat, lapsus complet quem cælitus humor.
Sic liceat nobis sanctorum effingere sortem,
Quos Satanas variis hinc inde laboribus instans
Exercet, frustra seséque suósque fatigans.
Ecquis enim tutus nisi quos fidusque potensque
Tutatur cœli Christus qui considet arce?
Perge Satan. Nam quo torres ardentiùs omnes
Accendes, tanto mage despumaris ahenum,
Purior vt tandem fundo esca appareat imo.

EMBLEMA XXXVI.



Niliacus qualis ſerpens fugientibus inſtat,
Inſtantes fugiens quanlibet ante ferox:
Sic vetus ille draco, ſæuus mortalibus hoſtis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

EMBLEMA XXXVII.



Nil mirum est statuas vos commendare libenter,
Ipsi quum sitis, Pontifices, statuæ.

EMBLEMA XXXVIII.




Belidas fingunt pertusa in dolia vates
Mox effundendas fundere semper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te,
Ebrie, quæ meias qui sine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat turba ebria, quòd sint
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

EMBLEMA XXXIX.




Quænam ſic lacero veſtita incedis amictu?
Relligio, ſummi vera Patris ſoboles.
Cur veſtis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hic? Patris lex veneranda mei.
Cur nudum pectus? decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? Crux mihi ſola quies.
Cur alata? homines doceo ſuper aſtra volare.
Cur radians? mentis diſcutio tenebras.
Quid docet hoc frenum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego.

EMBLEMA XL.




Fraternis luna vt radiis aduersa refulgens,
Pleno coruscat lumine.
Sic Christi oppositos spectans Ecclesia vultus,
Splendore lucet integro.

EMBLEMA XLI.



Lunam interveniens ceu teræ corpus opacum
Atra inficit caligine.
Sic interueniens hominum ſapientia, purum
Eccleſiæ infuſcat iubar.

EMBLEMA XLII.



Luna velut fratri propius coniuncta, perisse
Stultis videtur funditus,
Quæ tamen admoti spectat quâ lumina Solis,
Longè refulget clarior.
Sic periisse pii vulgo qui morte videntur,
Absit perisse dixerim,
Ipso qui potiùs Christo propiore potiti;
Quod quæsierunt obtinent.

EMBLEMA XLIII.



Insanum hunc quicunque vides seséque suósque
Rate perforata mergere,
Ah, quàm vera vides! nam quod pictũ aspicis, horum
Viua est imago temporum.

EMBLEMA XLIIII.



Vidi ego carnificis metuentem verbera sæui,
Qui medias sese Ligeris proiecit in vndas,
Et quanuis sudore madens, expérsque natandi
Fluminis euasit pede calcans ima profundi,
Quem mox non vna pœnas pro cæde luentem
Vidimus impositum torreri viscera flammis.
Hæc age dispicito rectæ qui tramite vitæ
Deserto, magis atque magis periturus oberras:
Nam quò tardior est, grauior fit numinis ira.



NOMINA VIRORVM ET FOEMINARVM ILLVSTRIVM, QVORVM MEMORIA IN HOC LIBELLO CELEBRATVR.

Errata typographica sic emendato.

A ij,in extremo lege,CIↃ.IↃ.XXVII
A. iij, lin.3.lege,anſeris (hoc enim,&c.
B. iiij,lin.8.lege,quantam hanc
C. iij, in Græco epigrammate lege Ατκεχῖος & λογιωτῶ δμος.
D. iiij, lin.18.leg.ei debemus. Singulare
E. iiij,lin.6.lege,diuinitus adiunctum,
G. iij,lin.26.lege,1550
I. iij,lin.18,lege,perſcripta,
L. ij,lin.8.lege,eiuraret
N. iiij,lin.8.lege,poſt feliciſſimè
P. ij, altera pagina,li.27.lege, ſuperſtes
Q. ij,lin.11.dele,ſibi
S. iiij,lin.7.lege,reuocatos debemus
X. ij,lin.vltima,lege,quum Iſnam
Aa. iiij,lin.15.lege,viginti tribus
Bb. ij,lin.22.dele quidem
Cc. ij, lin.5.lege,Sic igitur
Ee. iij, altera pag.lin.24.lege,obtinuit quod & lin.25.lege , (id eſt ſi, & Eccleſiaſticæ,& lin.26.lege, ſublata) & lin.27.lege,eſſet,
Ee. iiij, lin.6.lege,ſtabilierit
Ii. iij , lin.1. lege,Illi quidem,& altera pagina, lin.4. lege, calculo , & lin.8. lege,tam Ii. iiij,lin.19.lege,cognomento
Ll. ij, verſu 1.lege,Phœnicem, Ll. iij, verſu 5.lege,Hæc
Oo ij, altera pagina , verſu 2 . lege Quodque
Oo iiij, l.2, lege ſpumans hoc ſtultus
Pp iij, altera pagina , verſu, 1, lege, terræ